

CVRSVS PHILOSOPHICVS

SIVE

VNIVERSAE PHILOSOPHIAE INSTITVTIONES

STVDIOSAE IVVENTVTI SCIENTIFICA METHODO PROPOSITAE

AVCTORE

IOSEPHO CAPOCASALE

In Regia Neapolitana Studiorum Universitate Logicae, & Metaphysicae Professore,

Academico Augusto, Intrepido, Philopono, Regiaeque Academiae Florentinae Membro.

TOMVS ALTER

COMPLECTENS

METAPHYSICAM



EDITIO QUARTA.





NEAPOLI MDCCCV.

TYPIS CAJETANI RAYMVNDI

Superiorum permissu.

PRAEFATIO.

SECUNDAE EDITIONIS.

PRodeunt iam, amice Lector, institutiones Metaphysicae secundis curis emendatae, et quoad fieri potuit, novis animadversionibus auctae ac illustratae. Idem est in illis doctrinarum ordo servatus, eadem capitum paraphorumque series, idem totius operis veritatumque systema. Typothetarum menda, quae vix omnino vitari possunt, pro virili parte expurgata sunt, et quae quorumdam animis negotium in prima editione facesserant, in hac explicata, atque in clariorem formam redacta invenientur. Maximas quidem turbas ea, quae de materia viribusque motricibus antea scripseramus, inter praeconceptae opinionis homines adeo moverant, ut quidam nos Physices acerrimos hostes; quidam virium omnium oppugnatores; nonnulli sensus communis expertes, novitatis amatores, Newtoni manes iniuria turbantes multis conviciis querelisque vocarint; haud pauci vero eo usque furoris fu-

rendo pervenerint ; ut Metaphysicam Physicae adversantem, rationem Naturae contrariam, universalia peculiaribus opposita, quum nulla salutis spes superesset, adseruerint. Tantum praeiudicii tenacissima valet mentem turbare potestas? Responsum quidem istis dare, nec animum, nec tempus habemus: nam nec scriptis quidquam typisve mandarunt, nec id si fecissent, ullam scribendi necessitatem nobis imposuissent, quum et nostros ipsiusque Newtoni libros nequidem e limine salutatos, utriusque vero sententiam neminem istorum adsequutum esse videamus. Nimirum vires activas in mundo esse, nec inficiamur, et contra Malebranchium enixe ostendimus. Eos autem in corporibus non essentiales esse adfirmamus, sed partim a supremo Naturae Auctore ratione systematis praeter essentiam ipsis concessas, partim ab entibus simplicibus mediate aut immediate communicatas: quapropter materiam agere quidem, antea vero pati debere, ratione et experientia ducti adseveramus. Idem cum nobis sentire videtur Physices illustrator ille Newtonus, qui materiam prorsus iner-

tem

tem; cuiuslibet vis expertem; adeoque passivam esse statuit, ut quilibet ei motus a caussa externa imprimi debeat; immo vero et motui resistens eo usque observetur, donec omnium particularum inertiam caussa motrix vincat, vimque iis imprimat efficacem: ita ut corpus impulsum moveri nequeat, nisi excessu actionis supra resistentiam in eadem directione caussae moventis. Vellemus equidem, ut quicumque nostram opinionem adeo insectantur, tres illas generales motus leges a Newtono traditas attente considerent: nusquam enim locum haberent, nisi materia iners esset, et inactiva. Nec obstat, quod quidam aiunt, materiam gravitate et attrahendi vi praeditam esse, idque a Newtono ad evidentiam usque demonstratum: nam si Newtoni scripta sine praeiudiciis, pacatoque animo legerint, videbunt, clarissimum hunc Virum gravitatem ab attractione repetere; hanc vero medii cuiusdam aetherei subtilissimi per corporum interiora permeantis effectum esse: idque Newtonus ipse Boyleo scribens fassus est, et contra ejusdem hostes aperto clamat accerrimus eiusdem

propugnator Mac-Laurinus. Nec iniuria. Si namque attrahendi vim inerti materiae insitam percelebris Physicorum Antesignanus ille tribuisset, nullo modo contradictionis notam effugere potuisset, quum materialia entia modo activa, modo vero inactiva esse adfirmaret. Quum ergo materia nullam, nisi per motum, in se mutationem accipere possit; et ut moveatur, a caussa externa impelli, moverique debeat: nullum eam in se mutationum suarum habere principium; adeoque passivam esse, nemo ratione praeditus inficiari ausit. Quae quum ita sint: quid aliud, quaeso, est veritatem hanc luce meridiana nitidiorem oppugnare, nisi communi sensui valedicere? Restat, ut iis, qui nos ideo arguere credunt, quia Theologos potius, quam Philosophos in hisce nostris institutionibus agere voluerimus, paucis respondeamus. Hos equidem saeculi consuetudine abreptos nihil eorum, praeter praefationem indicemque legisse, ex ipsa propositione abunde patet. Etenim si integrum opusculi contextum prae oculis habuissent, accusationem illam proferre erubuissent. Ecquid autem in ipsa Meta-

phy-

physicae prolusione; ecquid in Theologiae Naturalis isagoge egimus, nisi huiusmodi reprehensiones proloquendo devitare, mentemque nostram omnibus aperire, quum sophisticis saeculi nostri sciolis occurrere, Sanctamque Religionem ab eorum impugnationibus vindicare professi sumus? Legant, oramus, nec obiter aut superficiarie legant; et si quid ineptum, extemporaneum, aut sine ratione scriptum offenderint, palam proferant; non intra domesticos parietes, aut per tabernas effutiant. Sed ne longius garriendo provehamur, modestia nostra, ipsius rei conditio, Tuaque, benigne Lector, prudentia suadet. Hoc opus, hic labor erat. Hoc iam defuncti sumus. Tu interim nostris fave conatibus: veritates hasce in succum et sanguinem, ut aiunt, verte: et quod maxime optandum est, earum ductu verae felicitatis metam arripe. Vale.

Neapoli Kalendis Februarii 1800.

PRAEFATIO

PRIORI EDITIONI PRAEMISSA.

TRia sunt, quae Te monitum velim, Lector benevole, antequam institutiones hasce meas legere incipias, ne qua praeconcepta opinione ductus adversum me classicum canas, mihique studiosae iuventutis commodo consulenti bellum indicas. Primum, si res ab aliis forsan pertractatas hic invenias, ne me temerario plagii crimine statim arguas. Sunt enim veritates metaphysicae adeo in apricum positae, & ab illustribus Scriptoribus ita enucleatae, ad supremum vero gradum perductae, ut si qui novas proferre se dicant, temeritatis & impudentiae notam apud emunctae naris homines vix effugiant. Eccur autem, inquies, in tanta litterarum luce institutiones, vulgari scribendi pruritu abreptus, in publicum proferre audes? Metaphysicorum, fateor, libris omnes refertae sunt bibliothecae, ut tanto pondere oppressae paene deficiant: eorum vero partim tanta est moles, ut iam magnitudine laborent sua: partim inutilibus, ineptisque

 tru-

tractationibus adeo abundant, ut veritates solidae utilesque inter tot spinas involutae attenta vix, longaque meditatione, aut ne vix quidem inveniantur: partim tot venenatas, erroneasque continent opiniones in verborum lenociniis tam apte latentes, ut qui eos legunt, incauti pro medicamento venenum imbibant: partim denique confuse, nulloque ordine scripti sunt, ut mentem pro instruendo destruant. Utilia ergo seligere, inutilia reiicere, erronea refutare, omniaque methodice exponere, non minimum esse credo operae pretium: id vero, utrum praestiterim, tute legendo iudicabis. Si quaeras: cuinam Antecessori addictus, quodnam systema adoptaverim? nullius sententiae vel auctoritati; rectae tantum rationi lito. Veteres, medios, recentioresque Philosophos pari prosequor obsequio. Veritatem in omnibus diligo, errorem odi. Quae sapienter a quocumque dicta, scriptave sunt, amplector; quae vero male, reiicio. Si aliquem refutandum adgredior, ad id non affectu, sed uno veritatis amore descendo: & si quando Auctoris alicuius opinionem, tamquam falsam & absurdam, magno conatu refello, Auctorem ipsum, ut eruditum magistrumque colo, ut hominem virtute prae-

ditum amo. Uno verbo, Eclecticorum in morem philosophari me velle profiteor

Nullius addictus iurare in verba magistri.

Si vero brevitatem nimiam reprehendere velis, omnes vero quaestiones longe lateque pertractatas, & discussas hic desideres: prae oculis habeto, me tironibus institutiones scripsisse, non Philosophis dissertationes. Alterum, si vocabula barbara, Scholisque familiaria hic offendas: memento, non omnia puris, aureique saeculi vocibus exprimi posse. Sunt enim cuilibet disciplinae phrases, ac voces technicae, quae, licet romanas offendant aures, temere tamen ab iis recedere quasi relligio est. Ecquid autem boni litterariae Reipublicae attulit Marius Nizolius, qui acerrimum scholasticae philosophiae bellum minatus, huiusque disciplinae restaurationem adgressus, vocabula tantum immutavit, novaque suo finxit arbitrio, re tamen barbariem non eiecit? Iure igitur ab eruditis, tamquam phantasticus heros habitus, non semel, nec modice vapulavit. Scholae quidem haud me reperies adscriptum: sed ut intelligere, ut intelligi possem, vocabula civitate donata respuere non debui. Alicubi sententias Gallorum Scripto-

ptorum nativa idiomate exscriptas in notis invenies, nimirum ut meae sinceritati integritatique consulerem. Et hoc scias velim, ne paedantismo tribuas. Tertium denique illos, qui cum clarissimo Philosopho Ioanne Lockio Ontologiam e Metaphysica eliminandam; singula vero principia suis quaeque locis tractanda putant, moneo. Non animus mihi, nec modus id consilium exsequendi deesset: sed novitatis argui in hoc primo laborum meorum curriculo, inter tot vero tantosque veritatis persecutores, haud magnam laudem esse duxi. Hanc vero Metaphysicae partem, quam lexici philosophici instar ieiunam, siccoque stilo plurimi tractaverant, quo potui, brevem, amoenam, minusque implicatam reddere studui, notatis ubique locis, in quibus ontologicae doctrinae usui esse poterunt: ut sine illis quaelibet adserta nullam prorsus vim, nullum fulcrum, nullum porro momentum haberent. Haec erant, quae Tibi praedicta cupiebam, Lector amice. Tu interim vale; & si dies viresque supererunt, philosophicum cursum copiosiorem, nativo sermone scriptum, & pro virili adcuratissime dispositum a me exspecta.

Dabam Neapoli Idibus Septembris 1789.

IN METAPHYSICAM VNIVERSAM

PROLVSIO.

§. I. QVamquam non desint, qui scholasticarum tractationum, spinosarumque nullius utilitatis quaestionum valde pertaesi eo usque metaphysicas oderunt disciplinas, ut eas nihil boni, mali vero plurimum adferre clamitent *: nos tamen ratione ducti, illustriumque Philosophorum auctoritate moti Metaphysicam adgredimur, quippe sine qua nihil in humana cognitione solidum, nihil rectum, nihil erudito viro dignum haberi potest: quum ea sit scientiarum omnium basis ac fundamentum, a qua cunctae demonstrationum suarum principia mutuantur. **

* Crevit etiam, magisque in dies crescit hoc in Metaphysicam odium, ex quo insana quaedam, et innumera libertinorum turba nostro hoc aevo maximam Europae partem invasit, qui undique philosophiam, metaphysicamque iactantes, *spirituumque fortium* (rectius *furentium* (1)) nomine vocari cupientes, fas omne abruperunt, et Religionem, Naturam, Societatem adgredi temerario ausu non dubitarunt. Id vero *systematis*, *dictionariis*, *historiolis*, *speciminibus*, *tragoediis*, *epistolis*,

(1) Hoc eos vocat nomine Aristoteles *Magnor. Moral. Lib. I. cap. 6.*, quum inquit : E'αν τινα ποιησης αφοβον ωστε μητε Θεους φοβεισθαι, ουκ ανδρειος, αλλα μαινομενος. *Nam si quempiam eo usque feceris in-*

lis, *romanensibus* denique *fabellis* exsequuti sunt, ut in iis nihil, nisi venenata impiarum opinionum, et exsucca farrago observetur. Pseudo-philosophi isti Metaphysicae nomen profanantes opuscula illa rationi adversa vocibus inanibus, paralogismis, ineptisque sarchasmis referta non alia de caussa ediderunt, quam ut propriam cordis corruptionem proderent, et licentiam, ac libidinem undique foverent. Vellent enim Iuris Naturalis dictamina, Deique cognitionem humanis mentibus alte impressam, et a Natura ipsa insculptam ex animis, si fieri posset, evellere, assiduosque conscientiae latratus penitus opprimere: quo facilius, ac commodius ad omne nefas praecipiti cursu prolabi, aliosque in eamdem foveam ducere possent. Id quod Lucretium *Lib. IV. circa fin.* aliosque eiusdem furfuris scriptores legenti abunde patebit.

** Et quidem quum ludibrio naturalis, ac revelatae Relligionis veritates libertini exposuerint, veraeque ac sanioris Moralis praecepta corruperint, necessarium prorsus erat genuinam Metaphysices indolem ostendere, hominumque animos adversus venenata huiusmodi iacula munire: ne inermes, et incauti captiosis eorum ratiunculis irretiti, externoque illo verborum fuco decepti in laqueos inciderent, aeternumque a veritate aberrarent.

2. METAPHYSICA * vulgo definitur per *scientiam universalium*. Commodius autem cum Thummiggio dici potest, eam esse *scientiam entis & Mundi in genere, rerumque immaterialium* **.

* Me-

intrepidum, ut nequidem Deos metuat, iam non fortis, sed demens fuerit. Idem fere sonant verba Petri Bayle, qui Atheismum *animae maniacae furorem* appellat: *Cette espèce d' Athéisme*, ait, *non peut loger, qu' en un ame extrêmement forte, & hardie, forcennée, & maniacle*. Dictionn. Hist. Crit. art. *Charron*.

* Μετα τα φυσικα scientiam indicat Physica, sive naturali scientia sublimiorem: eius namque obiectum est interior rerum, et intelligibilis ordo, caussarumque maxime remotarum, ac generalium investigatio, quum Physica ordinem rerum exteriorem, et sensibilem tantum sectetur; caussas vero proximas ac peculiares tradat. Eius nominis origo Aristoteli vulgo tribuitur, cuius opera omnium primum *metaphysica* nuncupata sunt: sed falso. Aristotelem mox moriturum bibliothecam scholamque Theophrasto tradidisse, testis est Strabo *Lib. I. rer. geogr. descript. Troad.* Hic suos et magistri libros Neleo Scepsio testamento legavit, in cuius deinde heredes ανακφαβητες eorum transiit dominium. Ab iis, ut Attalicorum Regum deluderetur inquisitio, libri hi humi sepulti diu latuerunt, unde a successoribus longo post tempore defossi, vermibus et humore vitiati Apelliconti Teio venierunt, cuius bibliothecam demum L. Sylla sustulit, Romamque transvexit. Plutarch: in *Sylla*. Forte fuit Romae Tyrannio quidam grammaticus, qui ut rerum novitatem admiraretur, Aristotelis legendi copiam flagitando obtinuit, et ab Andronico Rhodio adiutus exemplaria magna ex parte corrupta in lucem edidit. Quumque ea, quae variarum disciplinarum integra argumenta continebant, in ordinem digessissent, quod reliquum erat, de diversis agens, ac male sibi cohaerens, Physicae fuit postpositum, hosque centones aegre connexos *metaphysicos* appellarunt, physicis nempe rebus succedentes. Tandem ab Alexandro Aphrodisaeo, et Ioanne Philopono Aristotelis interpretibus nomen illud a graeco fonte derivatum solis illis, quae circa intelligibilia versarentur, physicisque superiora ac digniora essent, datum: eoque sensu sequioribus saeculis *Metaphysicae* nomen fuit usurpatum.

** *Universalium* enim nomine genera, et species intelliguntur (§. 32. *Log.*): Deus autem, licet eiusdem ideam intellectualem habeamus, individuum tamen est (§. 28. *Log.*), nec Dei idea universalis dici potest, nisi forte vocabulis abuti velimus. Quum ergo inter praecipua Metaphysi-

cae

nae obiecta Deus sit; rectius fecerimus, si universalium nomen expungamus, ne nobis ab aliquo vocabulorum praecisionis religioso custode nota inuratur. Cur autem Thummiggii prae ceteris definitionem amplexi simus, ex sequentibus abunde patebit.

3. Ex qua definitione liquet 1. Metaphysicam scientifica methodo tractari debere *; ac proinde 2. in ea certa, atque indubia praestruenda esse principia, e quibus conclusiones legitimo nexu deducantur (§. 5. *Log.*), 3. omnes eius veritates demonstrandas esse (§. 2. *Log.*), ac denique 4. curandum, ne quid vel obscurum, vel implicatum, vel non evidenter probatum incidat, unde methodi rigor labefactetur **.

* Quum enim sit scientia (§. 2.), haec vero habitus demonstrandi (§. 2. *Log.*); nempe conclusiones ex certis principiis per legitimam argumentorum seriem eruendi (§. *eod.*): nulla prorsus dubitatio adesse poterit, quin methodi leges in Metaphysica servandae sint.

** Vides hinc, quam absurda sit quorumdam saeculi nostri scriptorum praesumtio, qui libellos aliquot audacissime ediderunt, eosque metaphysicos appellandos esse contendunt. In his enim principia vel desiderantur, vel falsa sunt, aut saltem incerta: nullus propositionum nexus, nullae demonstrationes: sed nudis enunciationibus nulla ratione fultis omnia scatent, ut non philosophari, sed tamquam e tripode oracula dare videantur. Et si quando probandum aliquid adgrediuntur, id vel ineptis paralogismis, vel sophismatum fraudibus exsequuntur. De cetero venenatis sarchasmis, frigidis interrogationibus, vel exclamationibus inanem illam rhapsodiam implent, ne quid unquam a se demonstrandum petatur. Praeterea non absre satyras illas tragoediarum, dialogorum, episto-

la-

larum, vel narratiuncularum veste superinduerunt; quippe in quibus nulla demonstrandi obligatio, nullus methodi rigor, nullum denique disserendi officium. Vesani tamen isti βδελυρόσοφοι saeculum hoc metonymice *philosophicum*, atque *illuminatum* appellant, quia in eo tot praeclara ingenia floruerunt, qui tantum abest ut solidam felicitatis magistram (§. 6. *Log.*) excoluerint, ut Relligioni potius, ac Societati infensi omnes homines infelices reddere conentur. Nisi forte dicere velimus, eam esse huic saeculo luminis effusionem, ut omnium paene oculi tanto splendore caligaverint. Tot porro, talesque in eorum scriptis contradictiones occurrunt tironibus ipsis perviae, ut in operis decursu videbitur, quae materialismi aperto arguunt imposturam.

4. Ex eadem definitione fluit: 5. Metaphysicam primum de ente, * deinde vero de mundo generatim spectato agere debeare. Et quia rerum immaterialium aliae possunt esse creatae, alie increatae; inter illas autem, quae ratione innotescunt, nobilissima est anima humana, ut & per res increatas intelligitur omnium creator, & conservator Deus, ad cuius cognitionem non, nisi per factarum rerum contemplationem, pervenire quisque potest *: patet 6. animae humanae, Deique exsistentiam, attributa, & proprietates in Metaphysica tractanda esse solo rationis ductu (§. 6. *Log.*), nec ultra eam altius insurgendo.

* Paullus Apostolus *Ep. ad Rom. I.* 20.

5. Entis, eiusque generalium proprietatum distinctam notitiam suppeditat ONTOLOGIA, sive ONTOSOPHIA: mundi

di generatim spectati caussam, ac ordinem investigat COSMOLOGIA: animae naturam & adfectiones detegit PSYCHOLOGIA: Dei denique Optimi Maximi exsistentiam, & attributa demonstrat THEOLOGIA NATVRALIS. Sponte igitur ex definitione iam tradita manant quatuor Metaphysicae partes *, de quibus distincte, quantum fieri poterit, in hisce institutionibus agemus, de ipsius disciplinae origine, progressu, fatis, ac sectis non anxie nimis solliciti: quia id tantum agimus, ut auditores nostri, extricatis ambagibus, proprio labore, studio, & meditatione, ad supremum usque felicitatis apicem celeriter pervenire possint.

* Recte quoque Metaphysicam bifariam divides in METAPHYSICAM speciatim dictam et PNEVMATOLOGIAM, quarum illa de natura rerum in genere; haec de rebus immaterialibus in specie disserit. Metaphysica porro in ONTOLOGIAM et COSMOLOGIAM; Pneumatologia in PSYCHOLOGIAM et THEOLOGIAM *naturalem* pari ratione dispesci possunt.

ME-

METAPHYSICAE

PARS PRIMA

ONTOLOGIA

PROLEGOMENA.

§. 6. ONTOLOGIA, item PHILOSOPHIA PRIMA *, quae vere *scientia universalium* dici deberet, quippe universalissimas evolvens notiones, non incommode cum Wolffio definiri potest *per scientiam entis in genere*, *seu quatenus ens est*. Unde fallantur, qui eam *lexicon philosophicum* ** appellant: nam quum Metaphysicae pars sit (§. 5.), ea non in concinnandis, explicandisque vocabulis, vel phrasibus; sed in demonstrandis veritatibus maxime universalibus tota occupatur (§. 3.).

* *Ontologia* quidem a graeco λογος περι του οντος *sermo de ente* dicta; *philosophia* vero *prima*, quia veritates primas et praecipuas, idest generalissimas tradit omnibus disciplinis fundamenti loco inservituras. Scholastici eam proprio nomine *Metaphysicam* adpellabant, adeoque Ontologiae definitionem Metaphysicae aptaverunt, ut supra iam vidimus (§. 2. **).

** Lexicorum enim est vocum omnium significationem explicare, phrases in Auctoribus occurrentes enucleare, easque exemplis ex optimi aevi scriptoribus quaesitis illustrare, ut adcurate osten-

ostendit Walchius *Hist. crit. Lat. lingu. Prol.* §.4.; ubi ea ad grammaticam pertinere abunde demonstrat. Si ergo Ontologia est scientia, ad eamque pertinet veritates omnes universales scientifica methodo demonstrare: nullam habet cum lexicorum natura analogiam. Et licet nostro hoc aevo mos invaluerit sublimes, philosophicasque doctrinas lexicis inserendi, unde tot Dictionaria, et Encyclopediae maximas plerumque implent bibliothecas: non ideo prava consuetudo tantam habet auctoritatem, ut dictionariorum naturam mutare queat, praesertim quum in his nullum veritatum ordinem, nullam propositionum seriem, demonstrationemque invenire fas sit: quippe quae alphabeticam tantum, non item scientificam methodum servare possunt. Dolendum tamen valde foret, cognomen istud Ontologiae datum in eo rationem aliquam habuisse sufficientem, quod in ea plerique siccum quemdam terminorum veluti indicem texere sint conati. Quum autem diversam post Leibnitium faciem induerit haec disciplina: quamcumque olim haec appellatio speciem habuerit, nulla tamen deinceps ei poterit ratio suffragari.

7. Quia ergo Ontologia veritates omnes universales demonstrando pertractat (§.6.); hae vero propositionibus particularibus fundamenta sternunt, adeoque aliis scientiis principia suppeditant, ut attendenti patet: consequens est 1. ut eius usus ad ceteras omnes disciplinas extendatur *; ideoque 2. hae sine Ontologiae auxilio non possint distincte exacteque tractari. Quare 3. methodus exigit, ut haec scientia reliquis omnibus praemittatur, atque ex ea veritates fundamentales eruantur, quibus quaeque disciplina superstrui debet. Vnde 4. iure meritoque optimo eam Leibnitius SCIENTIAM PRINCIPEM ** appellavit.

* Ipsa

* Ipsa quoque Mathesis sine Ontologiae auxilio trunca esset, ac debilis; nec, unde axiomata sua mutuaretur, haberet. Videbimus enim infra, ut axiomata illa: *Totum esse maius sua parte*: *aequalia aequalibus esse inter se aequalia*: ex amplissimis Ontologiae fontibus promanent. Quonam autem modo hinc reliquae Philosophiae partes principia petant, suaque adserta demonstrent, ex earum contemplatione uberius eruetur.

** Et quidem, quae aliis scientis fundamenta praebet, PRINCEPS seu PRINCIPALIS est appellanda: ab ea namque omnes veritates in illis occurrentes robur suum, ac firmitatem accipiunt.

8. Ex dictis itaque patet 5. eam esse Ontologiam tractandi methodum, ut prius generalia rerum principia fundamenti loco ponantur; deinde ipsarum natura investigetur; ac tandem proprietates tam generales, quam speciales, diversaeque rerum classes evolvantur. Idque maiori, qua fieri poterit, distinctione, maximaque brevitate exsequemur.

CAPVT PRIMUM

De principiis rerum.

9. REi nomine intelligimus *quidquid fuit, est, vel erit, sive in mente hominis, sive extra eam, sive tamquam subiectum, sive ut attributum concipiatur* *. De rerum ergo principiis acturi, pauca de principiorum natura, & diversitate praemittamus, ut omnia, quae hoc super argumento dicenda erunt, eo facilius intelligantur.



* Hae

* Hanc definitionem ideo praemittimus, ut quae sequuntur clariora evadant: non enim *entis* vocabulo adhuc uti fas est, utpote in cuius definitione quaedam ingrediuntur, ab iis, quae in hoc capite continentur, illustranda.

10. PRINCIPIVM est *omne id, a quo aliud quocumque modo pendet*. Vnum autem ab alio PENDERE dicimus, *si absque eo intelligi nequeat*. Quidquid vero a principio pendet, PRODVCTVM non incommode appellatur *.

* Dici solet a Sholasticis PRINCIPIATVM, id est a principio ortum. Sed barbaro huic vocabulo commode substitui poterit vox *productum* a Mathematicis accepta: quia sicut in Mathesi productum ex factorum multiplicatione derivatur, ita in Philosophia principiatum a principio pendet.

11. NEXVS est *illa rerum a se invicem relatio, vi cuius unum ab altero pendet* *. Quae autem eam habent inter se relationem, CONNEXA dicuntur. Vnde quum productum a principio pendeat (§. 10.), inter ea nexus intercedit; adeoque sunt inter se connexa.

* Idest unum alterius rationem continet: Nexus ergo non infert mutuam rerum connexarum dependentiam, sed unam ut caussam, alteram ut effectum considerat: id quod sedulo observandum, ne in errores incidamus.

12. Principium est, vel COGNOSCITIVVM, vel EFFICIENS. Illud est *propositio in serie veritatum prima, adeoque per se patens* *, *quae ceteris intelligendis facem praefert*; hoc vero *quidquid alterius* ra-

vationem in se continet. De singulis separatim pauca degustabimus.

* Dum enim dicitur prima, evidens sit necesse est: nam si per alias demonstrari deberet, prima non esset in serie, sed aliae priorem locum occuparent.

13. Principium ergo, ut dicatur cognoscitivum, debet esse 1. CERTVM, nulli nempe suspicioni obnoxium * (§§ 113. 130. *Log.*); 2. EVIDENS, hoc est indemonstrabile ** (§. 71. *Log.*); 3. ADAEQVATVM, scilicet ex quo reliquae veritates legitimo nexu derivari queant *** (§. 12.). Quod si precarium, aut demonstrabile, inadaequatumve sit, principium dici nequit. Ex quo patet 4. principium cognoscitivum esse debere purum axioma (§. 72. *Log.*), idque VNIVERSALE (§. 126. *Log.*), NECESSARIVM (§. 67. * *Log.*), *constanter semperque* VERVM (§. 128. *Log.*), propositio nempe, quae numquam in falsam degenerare potest. ****.

* Quum enim sit propositio in serie veritatum prima (§. 12.), ex qua reliquae demonstrandae sunt, principium demonstrandi recte dicetur. Principia vero debent esse certa, et indubia (§. 5. 141. *Log.*): evidens ergo est, principium cognoscitivum esse debere certum, non precarium.

** Et quidem ipsa definitio evidentiam exigit, alias enim prima in serie veritatum esse non posset (§. 12. *).

*** Sane eiusmodi principium est primum in serie, quod reliquis veritatibus intelligendis inservit (§. 12.); series autem legitimam veritatum

tum omnium cum principio connexionem includit: ideoque, ut principium sit cognoscitivum, omnes ab eo legitimo nexu deduci debent.

**** *Universale* quidem; omnibus nempe veritatibus in serie demonstrandis inserviturum; *necessarium* porro, idest, quod non possit aliter se habere; adeoque *semper verum*: etenim propositio, cuius termini necessario, et absolute absque ulla conditione coniunguntur, si semel universim vera est, perpetuo et constanter talis erit. Probe tamen attendatur his principii cognoscitivi characteribus: magnam enim utilitatem in Iure Naturae praebebunt. Quae vero de principio efficiente sive effectivo dicenda forent, infra exhibebimus.

SECTIO I.

De principio rerum cognoscitivo.

14. VT principium rerum cognoscitivum adsignemus, invenienda est propositio necessario vera & certa, quae nullis obnoxia vicibus, nullaque umquam demonstratione indigens, omnibus veritatibus in serie demonstrandis inserviat, quae legitimo & continuo nexu ab ea deduci queant (§. 13.). Id vero est, quod in praesenti sectione exsequemur.

15. Interna, externaque experientia quisque de sui, rerumque extra se positarum exsistentia convincitur *: eodemque tempore se, obiectaque externa exsistentia non posse simul non exsistere aperto cognoscit. Omnibus ergo illis intuitivis iudiciis in universale enunciatum transmutatis (§. 126. *Log.*), axioma conficit: *Fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit.*

* Hinc

* Hinc illud Cartesii principium syllogismo contracto (§. 89. *Log.*) expressum: *Cogito, ergo sum*. Non heic inquirimus: sitne illud vere principium, anne productum; sed id tantum inferre volumus, suam cuique exsistentiam esse adeo evidenter notam, ut nullo ad eam demonstrandam opus sit argumento, nec quisquam usque eo demens inveniatur, ut illam in dubium revocare ausit.

16. Haec propositio necessario vera est, & certa. VERA quidem: nam quum omnia requisita, adeoque rationem sufficientem suae enunciationis habeat (§. 99. *Log.*), eius termini ita connexi sunt, ut nulla possint conditione disiungi. CERTA porro: quia quum sensus internus neminem fallat, is vero externis sensibus perpetuo, & constanter uniformis in eo inveniatur (§. 15.); haec autem via sit ad certitudinem ducens (§. 115. *seq. Log.*), nullum adesse potest dubium, aut vel minima suspicio, quin ita semper se habere possit *.

* Non hic moramur Scepticos, qui et Aporetici dicti sunt, multoque minus Pyrrhonicos, quorum insania eo usque pervenit, ut nihil certi in humana cognitione haberi posse pronuntiarint, inter quos Sextus Empiricus, et e recentioribus Petrus Bayle reliquis palmam praeferunt, de quo vitio legatur Crousaz *dans l'Examen du Pyrrhonisme ancien & moderne*. His vero simplicissimo dilemmate respondebimus, cui si victas manus dare nolint, non amplius verbis, sed fustibus et plagis essent convincendi. Eorum propositio est: *nihil posse a nobis certo sciri*. Nunc quaerimus a vel id certo sciunt, vel non. Si primum, actum erit de Pyrrhonismo; nam aderit vel una propositio certa, adeoque et aliae similiter certae esse

poterunt; nec si vel illa una certa foret, victoriam canere possent, quia adesset certitudo, quam ipsi tanto conatu inficiantur. Si alterum: ecquae tanta insania est, de propositione incerta tot taliaque praedicare, et quae dubia sunt, iudiciique suspensionem exigunt (§. 111. *Log.*) serena fronte in peiorem partem accipere, pro certis venditare, temere impudenterque iactare? Nec obstat sensuum fallacia toties a Malebranchio obiecta, qua omnem evidentiam pessumdare conantur: nam si omnia ad sentiendum requisita adsint (§. 119. *Log.*), eos fallaces esse non posse, communis Philosophorum clamat consensus, ipsaque recta ratio aperte demonstrat.

17. Nec tantum vera, & certa, sed universalis quoque, constans, & immutabilis est: nam nulla species dari potest, nec ullus occurrere locus, in quo idem simul esse, & non esse possit. Vnde quum ad omnes veritates generatim extendatur, VNIVERSALIS; quum nullo prorsus modo necessaria eius veritas labefactari queat, CONSTANS; quum denique nulla occasione eius veritas in falsitatem degenerare possit, nam semper verum est quod semel est tale, IMMVTABILIS huiusmodi propositio dicenda est.

18. EVIDENTEM porro illam esse, qui ratione sua abuti nolit, nemo negabit. Eius enim veritas ab ipsa sui, rerumque extra se positarum contemplatione legitima quadam, & necessaria consequutione homini innotescit: ut naturalem eius merito appellare possimus cognitionem. Vnde falluntur, qui sub falsa ratiocinationis specie eam demonstrabilem esse contendunt*. Omnes

nes enim, quae adducuntur, demonstrationes vel nihil probant, vel eamdem propositionem ut principium supponunt, circulumque committunt.

* Multi namque conati sunt Philosophi propositionem istam syllogismis demonstrare, sed omnes in principii, ut aiunt, petitionem incidunt. Huiusmodi est hoc ratiocinium: *Esse, & non esse implicat contradictionem: quidquid implicat contradictionem est impossibile: impossibile ergo est, idem simul esse, & non esse*. Vides hic, in minori eamdem propositionem supponi, quae probanda erat; adeoque totum syllogismum in circulum abire. Nisi enim ipsa propositio supponatur: eodem, quo ipse, iure alter dicere poterit, minorem esse falsam, et contradictionem implicantia esse possibilia. Propositio ergo est prima in serie veritatum, nec per alias demonstrari potest, quia natura evidens est.

19. Ex eo vero, quod propositio illa est in serie veritatum prima (§. 18.*), liquido colligi potest, eam esse ADAEQVATAM. Ex ea namque omnium veritatum, tam necessariarum, quam contingentium *, evidentia demonstratur. Et ut necessariae recta ad eam reducuntur **, unde certitudinem suam repetunt: ita & contingentes mediate per rationis sufficientis tramitem inde fluunt: ut ita inferri possit, eam veritates omnes legitimo, & continuo nexu producere, & ad certitudinis apicem usque proferre.

* Veritates omnes vel NECESSARIAE sunt, vel CONTINGENTES. Illarum extrema eiusmodi nexum habent, ut aliter esse non possint, nullique mutationi subiaceant: cuiusmodi sunt axioma-

ta: *totum est maius qualibet sui parte: aequalia aequalibus sunt inter se aequalia* etc. Contingentium vero termini quamdam inter se connexionem servant, quam tamen non haberent, si circumstantiae diversae forent; adeoque hujusmodi propositionum veritas a ratione determinante qualitatem attributi, eiusque nexum cum subiecto pendet: uti enunciationes: *mundus exsistit: corpus quietum moveri nequit, nisi impulsum* etc. quorum rationem reddemus coram.

*** Hinc enim fluunt corollaria: *Omne vel est, vel non est: Quidquid est, certo est: Nihil, quod est, in dubium vocari potest*. Inde vero est, quod multi hanc propositionem omnis certitudinis fontem appellare consueverint, et eamdem Pyrrhonismi flagellum salutamus. Nam primo corollario omnes Pyrrhonistarum in utramque partem possibilitates, omnes *forsan*, *potest esse*, *quisnam scit*, in fumum abeunt. Si namque quidlibet vel esse, vel non esse debeat; id vel esse, vel non esse, certo enunciandum est.

20. Quum ergo propositio iam allata sit necessario vera, certa (§. 16.) universalis, constans, immutabilis (§. 17.), evidens (§. 18.) et adaequata (§. 19.) adeoque purum axioma (§. 72 *Log.*): sequitur, ut recte dici possit PRINCIPIVM RERVM COGNOSCITIVVM*.

* Scholastici vocant *principium contradictionis*: nam duarum propositionum sibi mutuo contradicentium (§. 78. *Log.*) necessariam unius veritatem, alterius vero falsitatem statuit. Id alii nominant *principium necessitatis*; *identitatis* alii; quidam autem *essentiarum* principium appellant.

SECTIO II.

De principio rerum efficiente.

21. PRincipium rerum efficiens vulgo CAVSSA dicitur, idque definiri potest per *principium* (§. 10.), *quod rationem in se continet sufficientem rei exsistentis*. Eius vero productum EFFECTVS appellatur. RATIO SVFFICIENS porro est *omne id, per quod intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit, cur hoc modo sit, nec alio*. Ex quo patet, *caussam*, et *rationem* perperam vulgo confundi, sed eas inter se toto coelo differre *.

* Scholastici namque rationem *caussae* vocabulo exprimebant, si rationis sufficientis ideam, utut confusam, vel plane obscuram, iis tribuere velimus. Eamdem carpit semitam Thomas Hobbes, ubi contra libertatem arma sumit, ut in Psychologia videbimus. Cartesius eas omnino confudit in *medit. controv. de prim. Philos. p. m.* 80., ubi axiomatis loco statuit: *nullam rem existere, de qua non possit quaeri caussa, cur exsistat*. Et licet in sequentibus discrimen aliquod inter *caussam*, et *rationem* quodammodo fecerit: id vero indicio est, eum confusam saltem huius discriminis habuisse notionem.

22. Vt vero caussae notio rectius intelligatur, aliqua de ratione sufficiente praefari necesse est. Et primo quidem, quia de qualibet re quaeri potest, cur sit potius, quam non sit; cur uno, aliove modo *; in eo vero sufficiens ratio con-

sistit (§. 21.): patet, *nihil esse sine ratione sufficiente* **. Et hoc est, quod recentiores appellant PRINCIPIVM RATIONIS SVFFICIENTIS ***.

* Id vero experientia, et internus quemque sensus docet: nihil enim concipi potest, de quo dari, aut saltem quaeri non possit ratio, cur sit potius, quam non sit. Eam apogogice demonstravimus, et ad cognoscitivum principium redegimus (§. 132. ** *Log.*), ut adeo adserti nostri (§. 19. *) veritas elucescat, eamque demonstrabilem esse pateat: licet Leibnitius et Wolffius ipsam, ut purum axioma, inter principia enumeraverint.

** Lampadis ergo funiculo suspensae, eiusque ad centrum tendendi nisus ratio sufficiens est in funiculo, et gravitate; eiusdem vero casus ratio est in funiculi recisione, quae gravitatis vim expeditam reddit, et agere sinit. Ex gravitate namque intelligitur, cur versus centrum cadere nitatur; ex funiculo, cur in aere potius stet; ex impedimenti vero remotione, cur cadat potius, quam in pristino statu maneat.

*** Et quidem primus eo usus dicitur Archimedes in statuendis Staticae principiis, ut et ad veritates practicas demonstrandas adhibuit Confucius, id quod erudite ostendit Wolffius *in not. ad Orat. de Sinens. phil. pract. pag.* 44. *not.* 58. Leibnitius autem *in Theodic. Part. I.* §. 44. de eo ad omnes veritates extendendo plurima docuit, et Samueli Clarkio eius demonstrationem petenti rescripsit, tantisper pro principio indemonstrabili habendum, donec alius quisquam exempla in contrarium adferret. Negandum tamen haud est, clarissimum hunc Philosophum rationis sufficientis limites ultra fas extendisse, dum in *princ. philos.* §. 55. *seqq.* eam in omnibus Dei O. M. operibus exigit, eumque libertate orbans necessitati, supremoque veluti fato subiicit. Quum autem Deus sit ens liberrimum, ut in Theologia Naturali ostendemus, liquet, rationem sufficientem omnium Dei operum

esse

esse ipsam liberrimam eiusdem voluntatem; adeoque eo excepto, omnes veritates contingentes per rationis sufficientis principium demonstrati debere. Principium quidem dicimus, ut ne secessionem ab aliis facere videamur, et quidem relate ad contingentia, non vero ad necessaria, quae principium cognoscitivum pro fundamento habentia, rationem sufficientem, ut productum, considerant, atque examini subiiciunt.

23. Ex quo principio fluit prono alveo 1. cuicumque rei exsistenti esse oportere rationem sufficientem, ex qua intelligi possit, cur exsistat adeoque 2. eius absentiam rem reddere impossibilem; unde colligitur 3. rationem illam cuique rei exsistenti, aut in seipsa esse debere, aut in alia extra se*; ac proinde 4. principium hoc esse universale**. Quumque ex ratione sufficiente cuiuslibet rei exsistentia concipi possit (§.2. & *num.* 1. *huius.*): sequitur 5. ut omne, quod fit, aut est, sit in se conceptibile***; ideoque patet 6. amplissimum esse huius principii usum in ceteris disciplinis****.

* Sic Deus rationem suae exsistentiae habet in sua essentia, omnium autem operum a se factorum in sua liberrima voluntate: res contra creatae rationem propriae exsistentiae in alio habent, nempe in Deo.

** Scilicet nulla umquam species dari poterit, in qua vel una res ratione sufficiente destituta inveniatur. Non desunt autem, qui principii huiusce universalitatem inficiantur. Et primo quidem ad experientiam provocant, quia dantur species quaedam, in quibus rationem hanc sufficientem non videmus. Hi vero, si ad mentis nostrae limites ani-

animum intendissent, numquam relativam obscuritatem pro absoluta rationis deficientia venditarent. Nempe non, quia ratio illa nobis est impervia, eam omnino deesse dicendum est. Subiiciunt deinde: rationem sufficientem in corporibus reperiri, non etiam in spiritibus. Sed in utrisque eam adesse quisque, qui ratione abuti nolit, clare videt: nam si in corporibus *impellentem*, *urgentem*, *moventem*; in spiritibus *leniter allicientem*, *suadentem*, *hortantem* rationem sufficientem observamus. 3. In somniis, aiunt, omnia fieri absque ratione, idque ab eodem principii propugnatore Wolffio demonstratum. Concedimus equidem, nullam inveniri rationem in relatione ad obiecta, quia scilicet phantasmatum illorum archetypa non exsistunt: adest tamen ratio sufficiens in lege imaginationis, de qua fusius in Psychologia disseremus.

*** Quum enim nihil sit sine ratione sufficiente (§. 22.); ex hac autem concipi possit, cur aliquid exsistat (§. 21.): patet, omne, quod exsistit, esse in se conceptibile. IN SE quidem: si namque quiddam ab humano intellectu concipi nequit, quia eius limites excedit, divino tamen quam distinctissime agnoscitur, ut infra dicemus. Est ergo IN SE conceptibile quidquid etiam omnem humanam supergreditur aciem.

**** Ecquid enim esset doctrina de Deo, et anima humana, de coelo, et mundo, Ius quoque Naturae, et Ethica, Iurisprudentia Civilis, Medicina, ceterae quoque disciplinae, si rationis sufficientis principium claudicaret? Nec Materialistae nec Fatalistae, nec ulla absurda systemata refutari possent, si nullum rationis sufficientis esset momentum. Videbis infra, quantus huic principio sit honor, dum amplissimus eius usus in omnibus philosophiae partibus adparebit.

24. Caussarum porro veteribus aliae sunt EXTERNAE, quae in effectus constitutionem non ingrediuntur; aliae INTERNAE,

NAE, quae in ipso effectu conspiciuntur. Illarum alia est EFFICIENS, alia FINALIS; harum alia MATERIALIS, alia FORMALIS*. De singulis, quantum sat erit, agemus.

* Ita Cicero *de Fato cap.* 15. Et recte: experientia namque constat, in cuiuslibet rei existentia quatuor considerari posse. Ea vero sunt 1. EFFECTOR, cuius virtute producta fuit, 2. FINIS, cuius gratia ille operatus est, 3. MATERIA, ex qua confecta est, nempe subiectum modificationes omnes sustinens, 4. FORMA, hoc est modificationes ipsae. Haec autem omnia caussarum nomine veteres distinxerunt, et primam quidem caussam *quod*, alteram *propter quod*, tertiam *ex quo*, postremam autem caussam *quid* appelarunt. Sic omnium libertinorum operum, et libellorum caussa efficiens est *cordis corruptio*: nam, ut eleganter ait Terentius *Andr. l. 1. v. 37.*, *mala mens, malus animus*: caussa finalis est *licentia, & ad pessima omnia praeceps libido*: materialis *voces inanes, notionemque deceptricem continentes, principia falsa, contradictiones, fabulae*: formalis denique *sophismata, sarchasmi, exclamationes, circuli vitiosi, atque stilus tumens, verborum lenociniis scatens, ac oraculorum similis*. Quae omnia in operis huiusce progressu patefient.

25. CAVSSA EFFICIENS ea est, *quae per actionem suam rationem continet sufficientem, cur aliud exsistat*, sive quod idem est, *quae actione sua rem aliam producit**. Huius caussae variae a Philosophis traduntur species: et primo quidem in LIBERAM, et NECESSARIAM dispesci solet, prout effectus a voluntate agentis, vel a necessitate pendet **. Quando autem libera, aut necessaria dici debeat, ex dicendis infra

 pa-

patebit. Distinguenda tamen a caussa est CONDITIO SINE QVA NON, eiusmodi nempe circumstantia ex parte caussae efficientis requisita, ut suum sortiatur effectum, et sine qua non posset haec agere ***: ne eas confundendo in errorem lapsus fiat.

* Vocatur haec a Cicerone *caussa effectrix*, et κατ' ἐξοχὴν CAVSSA, eoque sensu *caussae* vocabulum accepimus in Logica *Part. I. cap.* 6. §. 87. 77. *can.* 2., quia in hac omnes caussae characteres vere concurrunt. Sic Deus est caussa efficiens huius mundi, quia virtute sua illum produxit. Hinc vides, quemlibet effectum in caussae suae virtute et actione contineri, non in caussa ipsa formaliter inesse debere. Et hoc est quod Philosophi aiunt, *effectum quemcumque in caussa esse*. Vt hoc plenius intelligatur, sciendum est, effectum in sua caussa triplici modo contineri posse, 1. *formaliter*, eodem nempe modo manens, quo erat in caussa: ut color purpureus eadem ratione in purpura inest, qua erat in cocco; 2. *eminenter*, scilicet in caussa habendo rationem suae existentiae sufficientem, ut caussa excellentior et perfectior sit suo effectu, eiusque realitates nobiliori modo possideat: ut liber in mente Auctoris sui eminenter continetur: in hac enim veritates omnes, quas liber exhibet, sublimiori ratione, ac distinctiori inveniuntur. Ita organa sensoria corporis humani, licet in Deo esse non possint, Deus tamen eminentiori modo, ac perfectiori omnia cognoscit, ac si organa haberet; 3. *virtualiter*, si caussa efficiens ea virtute praedita sit, ut effectum illum producere queat: ut opus quodque in suo artifice. Si ergo effectus aliquis *formaliter* non sit in caussa, ridiculum esset adserere, eum ab ipsa non fuisse productum: quum adhuc in illa eminenter, aut virtualiter contineri possit. Qua de re ad lunam latrant spiritus fortes, ac praecipue Auctor *du Systeme de la Nature Part. II. chap.* 3. *pag.* 53. *& suiv.* de quibus alio loco.

** Caus-

** Caussa ergo efficiens *libera* dicitur, si quando effectus ab eius libera voluntate pendeat, quem tamen non produceret, si nollet; *necessaria* contra, si effectum producat interna vi compulsa, ita ut non possit non agere. E. g. Deus est hujus universitatis caussa libera, quia si noluisset, eam non creare potuisset: corporum gravitas est caussa necessaria corporum tendentiae ad centrum, quia posito corpore supra Telluris superficiem, necessario effectus ille sequi debet. Advertas tamen, tunc caussam dici debere liberam, quum in agendi occasione posita *possit non agere*: nam *si non posset agere*, ea non libertas, sed *impotentia* dicenda foret.

*** Huiusmodi circumstantia vel in medii cuiusdam electione, vel in impedimenti remotione consistit. Nam nisi medium ad finem consequendum aptum adhibeatur, vel impedimentum in medio positum removeatur, caussa efficiens numquam agere, effectumque suum producere poterit. E. g. Si corpus filo sit suspensum, gravitas agere, nisi filo reciso, nequibit. Haec circumstantia *conditio sine qua non* a Philosophis appellatur.

26. Caussa efficiens rursus dividitur in VNIVOCAM, et AEQVIVOCAM *; item in PRINCIPALEM, INSTRVMENTALEM, et OCCASIONALEM **, deinde in PHYSICAM, et MORALEM ***; tum in caussam PER SE, et PER ACCIDENS ****; tandem in PROXIMAM, sive *immediatam*, et REMOTAM, seu *mediatam*, ex quo CAVSSARVM SVBORDINATIO, vel SERIES enascitur *****.

* *Vnivoca* a veteribus dicitur, quae effectum eiusdem essentiae, vel speciei producit: *aequivoca*, quae diversae. E. g. pater est caussa univoca filii; Deus caussa aequivoca mundi. Quum ergo philosophi enunciant: *qualis est caussa, talem es-*

se debere effectum, id de univoca tantum intelligendum.

** *Principalis* caussa est, quae vi propria effectum gignit; *instrumentalis*, quae aliena; ipsa vero fungitur vice instrumenti. Per INSTRVMENTVM autem intelligitur *quidquid potentia agendi praeditum, vi effectrice destituitur*. *Occasionalis* tandem dicitur, quae vi, et potentia agendi, saltem ad illum effectum producendum, orbata opportunitatem tantum caussae principali praebet, ut actionem exerceat. Sic homicidii caussa principalis est *homicida*; instrumentalis *gladius*; occasionalis vero *rixa*. Caussa porro principalis dividitur in PRIMARIAM, seu PRIMAM, quae vi propria gaudet, ac proinde a nulla pendet, qualis est solus *Deus*; et SECVNDARIAM, vel SECVNDAM, quae vim a prima participat, ab eaque pendet: ut sunt *omnes caussae creatae*.

*** *Physica* vocatur, quae propria vi, et actione aliquem producit effectum; *moralis*, quae alterius opera utitur, eamque suadendo, consulendo, adiuvando ad actionem impellit; vel instrumenta praestando faciliorem reddit; vel eamdem iam patratam probat, aut agentem sibi a futuris timentem tuetur. Caussarum moralium actio *concursus ad actionem alterius* a Naturalistis vocari solet: illae namque actionibus antecedentibus, concomitantibus, vel consequentibus, sive intellectus, sive voluntatis, sive etiam facultatis locomotivae, ad actionem caussae physicae, quae principalem in agendo locum obtinere videtur, adprime concurrunt. Sic Sabinarum raptus a Livio *Lib. I. cap.* 4. relati caussa physica fuere ipsi raptores; moralis Romulus iubens, patres consulentes, milites quoque populum sontem bello tuentes.

**** Caussa *per se* dicitur, quae effectum gignit animo conceptum, vel ad quem producendum fuerat destinata; *per accidens* contra, si effectus ille sit inopinatus. Hoc modo, philosophia per se hominem ratiocinantem, veritatis et Religionis amatorem efficit; ad id namque est destinata. At

eadem, inquies, haud raro atheismum fovet, in eum namque plurimi philosophiam profitentes inciderunt: ergo atheismi caussa est. Nimirum *per accidens*: non enim ad impietatem, sed ad pietatem fovendam est comparata; ut dari nequeat verus philosophus simul, et impius, ut bene advertit Verulamius. Si ergo ex philosophiae cultoribus quidam in atheismum lapsi sunt, non disciplinae, sed ea abutentium culpa id accidit, qui praeconceptis opinionibus omnia ad proprias contorquent cupiditates. Idem de igne cecinit Ovidius *Trist. II. v. 267.*

Igne quid utilius? Si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.

***** *Proxima* vocatur ea, quae effectum ex se, nulla alia intercedente, producit: ut *pater est caussa proxima filii*. *Remota* contra, inter quam, et effectum aliae quoque caussae, quae *intermediae* dicuntur, intercedunt: ut *avus est caussa remota nepotis*. Hac ergo ratione illa *immediata*; haec *mediata* vocatur. Ex hoc porro intelligi potest, quid sibi velit *caussarum subordinatio*, vel *series*. Nimirum, datis pluribus caussis eumdem effectum producentibus, quarum tamen una ab altera pendet, propior effectui dicetur *proxima*; aliae vero *remotae*: ex his porro remotior erit *prima* in serie; reliquae huic *subordinatae*, hoc est ab ea pendentes appellantur: quarum omnes sunt simul caussae respectu consequentium, et effectus respectu antecedentium. Inde vulgare Scholarum effatum: *Quod est caussa caussae, est etiam caussa caussati*, cuius explicationem coram dabimus. Haec autem caussarum series infinita esse nequit, partim quia ex ideis, quas habemus, philosophandum, vulgare est Metaphysicorum postulatum; nec idearum nostrarum analysis in infinitum protrahi potest (§. 27. *Log.*): partim quia in omni serie prima propositio, in omni catena primus annulus esse debet: partim denique, quia cum de caussarum subordinatione agitur, necessario prima caussa est invenienda, quae rationem contineat sufficientem virium ab omnibus caussis in serie exsistentibus adhibitarum. *Seriei* namque vocabulum indicat,

caus-

caussas illas non posse ex se, et nulla ab alio dependentia exsistere, vel agere, utpote quae viribus utuntur alii ab alia mutuo datis: perveniendum ergo est ad caussam aliquam principem, a qua omnes subordinatae vires suas mutuatae sint, et in qua vires essentialiter exsistentes, ac veluti accumulatae reperiantur. Sic in corporum motorum serie debet inveniri caussa motrix, quae vim cum primò corpore communicatam in se contineat, idque vi sua, non aliena moverit: ut inde insaniat Spinoza, dum caussarum moventium seriem mere corpoream in infinitum dari contendit, ut suo loco dicemus. Est et alia series a minimis scriptoribus excogitata, quae CIRCVLARIS dicitur, ut a superiori RECTILINEA distinguatur: ea vero consistit, ut datis quibusdam caussis, iisque exhaustis, ad eamdem rursus caussam fiat regressus. Sed in eo circulum committi, nullumque robur inesse, quisque videt (§. 533. *Log.*). Idem enim esset, ac rerum naturam penitus evertere, seriei vero ideam omnino destruere: nam series, quam hi *circularem* appellant, in contradictionem incidit, idem ens nunc prius, nunc etiam posterius faciendo. Eadem porro ratione non possunt duae res sibi mutuo esse caussae efficientes, nam hic quoque circulus est. Ex caussarum subordinatione pendet effectus cuiusque analysis, cuius idea adaequatior fit, quo actio caussae proximae in remotarum actiones resolvitur, quemadmodum in resolutione motus physica ostendemus. Praeterea haec doctrina maximum in Cosmologia habet usum, ubi series contingentium ad caussam primam est sistenda. A caussis subordinatis distinguendae sunt CONCAVSSAE, sive caussae COORDINATAE, vel SOCIAE, plures nempe caussae eumdem simul effectum producentes, quarum notio probe notanda, ut pluribus Malebranchii argumentis responderi possit.

27. Caussa efficiens denuo, vel ut actu agens, vel ut potens agere, considerari potest. Illa dicitur caussa efficiens in ACTV, vel ACTV SECVNDO; haec vero in POTEN-

TENTIA, vel ACTV PRIMO *. Si caussa in actu primo constituta habeat omnia ad agendum requisita, actus ille primus PROXIMVS audit, vel POTENTIA PROXIMA; si quaedam desiderentur, REMOTVS, sive POTENTIA REMOTA **. Dicuntur autem REQVISITA AD AGENDVM ea omnia, quibus positis, actio poni debet ***.

* Sic *anima volens* est in actu secundo: *voluntate praedita*, in actu primo. Scholastica haec sunt, sed tamen civitate donata. Si qui vero veterem aversantur barbariem, illum *actum*, hunc *potentiam* appellare poterunt.

** E. g. In pulvere pyrio omnibus Pyrotechniae legibus confecto, atque sicco, inest actus primus ad tormenti explosionem; si accedat ignis admotio, actus primus erit proximus; si vero horum aliquod desit, actus primus remotus dicetur.

*** Pulveris ergo pyrii bonitas et siccitas, atque ignis admotio sunt requisita ad tormenti explosionem: nam positis illis, actio ignis in pulverem, et huius ad globum vi elateris sui proiiciendum, poni debet.

28. Ex quo patet 1. omnium requisitorum collectionem actum primum proximum completum constituere, 2. requisita haec actum secundum natura praecedere *, adeoque 3. actum primum proximum necessario cum secundo coniunctum caussam reddere necessariam **; secus vero liberam, si nulla eiusmodi adsit connexio: unde 4. actum primum proximum caussae liberae per se ad actum secundum esse indifferentem ***.

* NATVRA PRIVS id esse dicitur *quod ut aliunde existens actum primum complet, caussamque ad agendum reddit expeditam*: adeoque requisita illa actum primum proximum constituentia, licet aliquando cum actu secundo eodem momento exsistant, natura tamen sunt eo priora, quia hoc respectu ab actu secundo non pendent, sed hic potius ab illis suam habet dependentiam. Hinc regula philosophica: *quamcumque caussam debere effectum suum, saltem natura, praecedere*; de qua plura in ipsis recitationibus adferemus.

** *Necessario* autem dicitur actus primus cum secundo coniunctus, quum positis omnibus ad agendum requisitis, nullatenus actio vitari potest, sed ipsius naturae viribus sequi debet. Quum ergo posito pulveris pyrii bonitate, et ariditate, admotoque igne, necessario poni debeat tormenti explosio: ignis erit caussa necessaria accensionis, quae in pulvere sequitur.

*** E. g. Offertur Titio tormentum bellicum omnibus ad explosionem requisitis instructum, et dum manum ipsi admovet, ignis ei porrigitur, ita ut inveniatur ignis pulveri proximus. Titius tamen manum retrahens pulverem accendere non vult. Idem Titius iniuria lacessitus ferrum evaginatum in hostem dirigit, sed poenitentia ductus, vel illius precibus placatus, ferrum sistit, nullamque sumit ultionem. Titius ergo illarum actionum est caussa libera: in quo vides nullum inter actum primum proximum, et secundum intercedere necessarium nexum, et esse per se indifferentem: nam actus ille primus in se spectatus potest cum actione, vel eius omissione coniungi.

29. Omnes caussas creatas vi activa orbatas esse, adeoque non dari in mundo caussas efficientes, clamat Malebranchius*: eas autem tantum OCCASIONALES dici debere, quia occasionem dumtaxat Deo praebent actionem suam data opportunitate exercen-

cendi, quippe qui solus vi agendi gaudeat, omnes post illum praedicant Cartesiani **, qui propterea OCCASIONALISTAE dicti sunt. Vt autem horum enormis pateat error, iuvabit pauca de vi et actione praemittere, caussasque creatas ab hac iniusta imputatione vindicare.

* *De la Recherch. de la verit. livr. 6. part. 2. chap.* 3. et passim, ubi nullam animae sentiendi, corpusque movendi vim tribuit, ut in Psychologia fusius ostendemus.

** In eam opinionem discesserunt omnes, quotquot in Gallia post Malebranchium floruere Philosophi, ii praecipue, qui Theologiam professi sunt, a quibus nec ipse dissentit Augustinus Calmet. Idem quoque sentire videtur Diderot, ut patet ex sua *Encyclopèdie art. évidence*, et ill. Abbas Para in *Theorie des êtres insènsibiles* sententiam hanc adeo defendit, ut pro aris et focis pugnasse videatur. Eos porro sequuti sunt quidam ex Italis obscurae famae scriptores subliniorem prae aliis cognitionem in Theologia iactantes: sed rectene, an secus, alibi videbimus.

30. *Efficere, ut aliquid sit, quod antea non erat*, vel *in statu rei mutationem inducere*, vocabulo AGERE exprimitur, eiusque abstractum ACTIO dicitur, cui opponitur PASSIO, nempe *status rei mutati vi actionis ab altero provenientis* *. Facultas agendi, POTENTIA: huius autem exercitium, quod efficit, ut actio exsistat, VIS nominatur **. Vnde hac posita, actionem quoque poni necesse est, modo nullum adsit impedimentum. Vis porro in *creatricem*, & *modificatricem* dispescitur, prout actio

actio vel creationem, vel modificationem continet, quarum illa infinita, haec autem est limitata ***.

* Vides hic *actionem* a nobis in sensu maxime generaliori usurpari, nempe ut facultatis cuiuslibet exercitium, et enodationem quarumcumque virium, sive insitae illae sint, sive ab aliqua exteriori caussa agenti participatae. E. g. Anima corpus movet; in eiusque statu mutationem inducit. Anima agit; corpus vero patitur. Porro actio vel in *creatione* consistit, qua substantiae nondum exsistentes, sed tantummodo possibiles, exsistentiam accipiunt; vel in *modificatione*, qua substantiis iam exsistentibus novi exsistendi modi, nova accidentia adduntur. Id quod in refutandis Malebranchii argumentis in memoriam revocasse iuvabit.

** Vocatur passim *vis agendi*, *vis activa*, *effectrix* ec. eaque praeditum dicendum est quidquid agere potest. Si ergo ostenderimus caussas creatas vere agere, eas vi activa gaudere, legitima consequutione nascetur. Sedulo tamen notandum, non inde statim deduci posse, caussas omnes creatas viribus insitis et naturalibus esse donatas. Hic enim non de virium natura et qualitate, sed de earum exsistentia, quaestio est. Scilicet non heic inquiritur, *num omnia mundana entia in se vires habeant*; sed *utrum in natura vires insint, vereque agant illae caussae, quae sensibus nostris agere videntur*?

*** Actio quidem, si possibile quidpiam, nullo praeexsistente subiecto, ad exsistentiam perducat, *creatio* dicitur; sin subiectum exsistens modificet, *modificatio* audit (*not.* 1.). Sunt hae ideae sensui communi conformes. Vis ergo actionum illarum rationem continens sufficientem in primo casu *creatrix*; in altero *modificatrix* dicenda erit. Et illa quidem, fatentibus adversariis, est infinita, quia idem est unum possibile ad exsistentiam perducere, ac omnibus possibilibus exsistentiam dare, ut

ut infra dicetur; hanc vero finitam esse, nemo ratione praeditus negare ausit. Modificatio namque est actio limitata, quae suos habet fines, ut aliquod ens uni, non etiam aliis formis subiecto alicui dandis, sit idoneum. Id vero, quum experientia abunde compertum sit, ulteriori demonstratione non eget.

31. Primum omnium, caussas omnes creatas vere agere, communis hominum consensio probat. Id vero argumento est, eos cognitione saltem intuitiva veritatem hanc esse assequutos. Sed ne in re tam evidenti externa exempla petamus: interno, externisque sensibus quotidie, ac constanter de illa convincimur. Videmus enim ad nutum animae omnes in nobis effici motiones; ad corporum vero quorumdam appulsum quasdam perpetuo in aliis sequi mutationes *. Experientia ergo scimus 1. caussas creatas agere, ac proinde vi activa praeditas esse.

* Si namque stipulae, aut pulveri pyrio, aliive combustibili materiae ignem; si ceram igni admoveas, extemplo illam accendi, hanc liquefieri videbis. Si corpus corpore urgeas, illud moveri; hoc quiescere, vel minori celeritate motum suum continuare observabis. Ecquis vero erit, qui communi, suoque sensui valedicens, Creatorem velut e machina advocare, eumque his omnibus iugiter adsistentem, nulla caussarum creatarum ratione habita adserere audeat?

32. Deinde, quoniam ex eadem Cartesianorum confessione, caussae creatae sunt secundae; hae vero vim a caussa prima, nempe a supremo rerum Opifice, participant

pant (§. 26. **); Deus autem vim illam eis impertiri potuit, debuit, et voluit: potuit, nam vires illae cum rerum finitarum essentia non pugnant *; debuit, nam alias in ea sapientiae, vel potentiae defectus argueretur **; voluit, nam quum Mundum hunc adspectabilem libere nulloque cogente creaverit, eumque admirabili structura, ordine, ac perfectione formaverit, velle quoque debuisse dicendum est, ut omnes, quas ad effectus producendos destinavit, caussae viribus suis ad propria fungenda munia donarentur, et data occasione uterentur ***: consequens est 2. ut eas vi agendi vere instruxerit, eaque vi effectus suos illae producant; adeoque 3. sententia caussis creatis vim activam adimens sit Naturae, eiusque Auctori iniuria, et absurda.

* Immo vero omnis cum ea reperitur convenientia: nam quum caussae sint, licet secundariae, rationem sufficientem effectus continere debent: ea vero ratio in earum actione consistit; nec agerent, nisi vi activa praeditae forent. Praeterea limitatio realitates non excludit; sed eas admittit, non quidem absolutas, suis tamen gradibus circumscriptas. Nec vis activa est proprietas soli Creatori competens, ut eam cum rebus creatis communicare nequeat, ut est potentia creandi, et aliae huiusmodi: hic enim de vi modificatrice sermo est, non etiam de creatrice (§. 30. ***). Deus ergo caussas secundas viribus suis instruxit, iisque limitatae earum essentiae proportionalibus; adeoque illae agunt, nec ultra proprias vires umquam adsurgere poterunt.

** Vt enim male audiret Artifex, si machinam a se confectam perpetuo movere deberet, nec sine

sine eius actione motus, quibus eam destinaverat, peragere posset, eiusque merito argueretur imperitia: ita si Deus caussis creatis semper adsisteret, ut sine eo nulla dari posset actio, quum tamen ipsas ad suos effectus producendos destinaverit, Deum, vel nescivisse, vel non potuisse viribus activis illas donare iure concludi posset: qua illatione nihil magis impium excogitari potest.

*** Qui enim serio vult finem, et media quoque velle debet, ut mox ostendemus. Deus itaque volens effectuum productiones a caussis creatis dependentes, earum etiam actiones voluit, quae quum sine viribus activis haberi nequeant, et vires cuique caussae proportionales concedere voluit, ut ejus fini convenienter agerent. Non diffitemur equidem vires illas a Deo conservari debere: sed haec virium conservatio extra statum quaestionis est, et Cartesianorum opinionem aperto damnat, quum ex eo vera caussarum exsistentia, et actio inferatur.

33. Demum, quia omne in rebus creatis bonum a Deo per participationem obvenit; vires vero activae sunt bonum in Deo absolute, et absque ulla limitatione exsistens, nec bonum eiusmodi, quod Deo, ut Creatori, competens concedi nequeat (§. 32*.): sequitur 4. ut nihil obstet, quo minus Deus, vires caussis creatis concesserit; atque adeo 5. illa concessio perinde, ac caussarum actio cum recta ratione non pugnet *.

* Obiicit tamen Malebranchius, vires activas esse solius Creatoris: nam agere creationem importat, quum quidquid antea non erat, agendo fiat exsistens. Sed hic actionem cum creatione confudit Vir acutissimus: non omnis enim actio est creatio, sed ea tantum, qua substantia aliqua ad exsistentiam perducitur (§. 30. *). Hic vero de iis tantum actionibus sermo est, quibus substan-

stantiae iam exsistentes modificantur, hoc est, modos recipiunt, quos antea non habebant (§. *eod.*), quas tamen creationis vocabulo exprimere, est terminis velle abuti. Vis quidem creatrix, utpote infinita, solius Creatoris est, entis nempe infiniti, eamque communicabilem facere velle, est nugas adversus rationem effutire: vis autem modificatrix finita admodum est, limitataeque naturae adprime conveniens, et si eam sibi Creator dumtaxat reservasset, frustra mundi systema iners ineptumque creasset. Sed ulterius hic progredi est superfluum; idem namque Malebranchius liberas volitiones animae tribuens, eam volitionum suarum caussam vere efficientem, adeoque agentem esse adfirmat, suumque Occasionalismum aperta contradictione prodit *Eclaircissem. sur le chap. 3. livr. 6. répons. à la 6. preuv.*, ut ita absurda Cartesianorum sententia evanescat

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

34. Quum itaque experientia constet, caussas creatas vere agere (§. 31.), eaque physicam in nobis pariat certitudinem (§. 128. *Log.*); & ut rationi consentanea (§. 33.), immo vero omnibus numeris absolutae demonstrationi conformis (§. 32. *seq.*), fallax esse nequeat (§. 137. *Log. Schol. can.* 7.): recte infertur *6.* eas vi activa praeditas esse (§. 30.); ac proinde 7. in Mundo realiter exsistere caussas efficientes *.

* Non moramur hic quasdam Cartesianorum obiectiones: omnes quippe redeunt ad superiorem a Malebranchio allatam (§. 33. *). Nec hinc concludi potest, Deum caussis creatis, ut sociis, ad effectus quoslibet producendos opus habuisse, quum ipse ad omnia sufficiat, semperque agat. Nam Deus quidem agit, ut caussa prima, non unica; caussae vero creatae sunt primae huic subordinatae, non sociae: nempe Deum in agen-

do

do non adiuvant, sed ab eo pendent, omnesque vires ad agendum sufficientes accipiunt.

35. Quoniam autem quisque effectus rationem suae exsistentiae in caussa habet (§. 21.), eamque ut sui principium agnoscit (§ *eod.*): liquet 8. quemlibet effectum a sua caussa pendere (§. 10.), adeoque 9. inter caussam, & effectum nexum intercedere (§. 11.): itaque 10. patet, omnes effectus supponere caussas efficientes, quarum actione producti sint. At quia nequit idem simul exsistere, & non exsistere (§ 15.): colligitur 11. nihil semetipsum posse producere, sive, quod idem est, nihil sui ipsius caussam esse posse *.

* Aliter enim idem exsisteret, et non exsisteret: exsisteret quidem, quia actio caussae efficientis exsistentiam praesupponit; non exsisteret, nam effectus post productionem exsistere incipit, adeoque antea non exsistebat.

36. Rursus, quoniam omne rationem sui sufficientem aut in semetipso habet, aut in alio extra se (§ 23.); nihil autem potest suimet esse caussa (§. 35.): evidens est 12. eum, qui rationem illam in seipso habet, a nullo alio pendere, nullamque caussam agnoscere *; contra vero 13. qui eam in alio habet, ab eo, tanquam caussa efficiente, suam dependentiam habere (§. *eod.*). Quumque nihil sit sine ratione sufficiente (§. 22.); eam vero quisque effectus in caussa habet (§ 21.): sequitur 14. ut nequeat plus esse in effectu, quam fuit

fuit in caussa; sive, ut Bulffingerus ait, effectus plenus aequipollere debeat caussae plenae, nempe viribus caussae integris **; adeoque 15. caussa absolute eadem contrarios effectus producere nequeat.

* Si ergo exsistit aliquid rationem sui sufficientem in se ipso habens, illud independens esse debere quisque intelligit.

** Alias enim quidquid inveniretur plus in effectu, vel esset sine ratione sufficiente, quod fieri nequit (§. 22.), vel rationem sui in alia caussa haberet primae socia, et tunc effectus aequaret summam virium suarum caussarum, quae caussam plenam constituunt. Vid. Leibnit. *Specim. Dynam. Act. Erud. ann.* 1695. *p.* 157. Hinc vulgare illud: *Nemo dat quod non habet*, sive formaliter, sive eminenter (§. 25. *). Hac propositione fusi fugatique sint oportet Epicuraei: nam quum inter mundana entia homines sint intelligentia praediti, Mundum a caussa bruta productum nemo unquam admittere ausit.

37. FINIS, sive CAVSSA FINALIS *, est *id, cuius obtinendi gratia, caussa efficiens agit* **. Actio porro mentis in agente, qua finem illum per actionem suam consequi vult, INTENTIO agentis appellatur, eaque in DIRECTAM & INDIRECTAM *** optime dividitur. Et quia finis actionem antecedit in mente; eam vero effectus sequitur in actu: non abs re philosophi rationes confecerunt, ut idem possit esse finis in intentione agentis eum ad agendum alliciens, & realis effectus post actionem per eam obtentus ****. Hinc est, ut caussas finales absque ratione reiiciant

an-

antiqui Sophistae, & hodierni Litteratores *****.

* Nec iniuria: nam quum caussa rationem effectus sufficientem in se contineat (§. 21.); finis vero, ut ex eius definitione patet, rationem in se habeat, cur caussa efficiens agat: eius enim gratia operatur: recte caussae nomen fini conceditur. Apposite ergo Seneca: *An non putas*, ait, *inter caussas facti operis numerandum, quo remoto factum non esset?*

** E. g. Academiam frequens colis, ut doctus fias. Doctrina ergo est finis, quem Academiam frequentando obtinere cupis.

*** Idcirco *intentionem* alii dicunt *volitionem eius, propter quod agens agit*. Sic in allato exemplo volitio doctrinae dicitur intentio tua. Ea porro *directa* est, si quando finis intentus ex actione sequitur; *indirecta* contra, quum agens non id praecise intendit, quod ex actione nascitur, sed aliud, quod perinde ac illud ex eadem sequi potest. E. g. Si qui Academiam frequenter colunt, ut docti fiant, *directam* habent intentionem: ille vero, qui non doctrinae, sed sodalitii studio idem agit, *indirecta* intentione laborat. Rursus intentio alia IMMEDIATA est, si finis intendatur ex actione procedens; alia MEDIATA, si alius finis ab actione remotus obtineri velit.

**** Hinc vulgatum illud: *finem esse primum in intentione, ultimum vero in exsequutione*. Videlicet in statu ideali eadem res finis locum obtinet, quae in actuali effectus nominatur. E. g. Aegrotus medicamina sumit, ut sanitatem consequatur: iis autem sumtis, hanc recuperat. Sanitas igitur in mente agentis antea erat finis, post actionem effectus vicem sustinet.

***** Vides hinc, quam inepte blateret Auctor libelli *Pens. philosoph. sur l'interpretation de la*

al nature, qui Spinozae deliria repetens in *append. ad prop.* 36. *Part. I. Ethic.*, *caussarum finalium doctrinam*, ait, *esse proscribendam*, *quippe quae omnem naturam evertit*, *nam quod natura prius est*, *facit posterius*, *&* *contra*. Cuius erroris distinctam confutationem coram dabimus.

38. Finis est, vel PROXIMVS, si eum immediate, nullo alio intercedente, agens intendat; vel REMOTVS, si alii quoque fines interponantur; vel VLTIMVS, si eum postremo loco respiciat, & ad eum reliqui fines intermedii referantur, qui proinde huic SVBORDINATI dicuntur *. Dividitur iterum in PRIMARIVM, quem agens obtinere cupiens ita consequi vult, ut sine eo non ageret; & SECVNDARIVM, qui cum alio fine coniungitur, & quo uno exsistente, actio omitteretur **. Reliquae finis divisiones Scholasticae sunt, & ad rem non pertinentes ***. Si tandem aliquid sit, quod motiva suppeditet, caussamque efficientem ad agendum impellat, CAVSSA IMPVLSIVA nominatur ****.

* Sic tuarum elucubrationum finis proximus est *scientia*; remotus, *officiorum status tui exsequutio*; ultimus, *gloriae Divinae illustratio*, ut in Iure Naturae demonstrabimus.

** Vulgo ille PRINCIPALIS; hic MINVS PRINCIPALIS audit. E. g. Vrbem petis studendi, eiusque visendae gratia. Studium primarius, cupido videndae urbis secundarius finis est.

*** Talis est divisio in finem CVIVS, nempe *cuius gratia* agitur; et finem CVI, hoc est, *cui bono*: Sic patris liberos educantis finis *cuius* est

est parentis officium; finis *cui*, eorumdem utilitas. Talis est alia finis partitio in EXTERNUM, qui in nostra potestate non est; et INTERNUM, qui penes nos est. Exempla coram dabimus.

**** Caussa ergo impulsiva caussam efficientem impellit per boni repraesentationem ex finis consequutione procedentis, ut alacrius actionem adgrediatur, eaque a Scholasticis in INTERNAM, et EXTERNAM dispertitur, in quarum prima rationes intra agentem sunt; in altera extra eum. E. g. Das stipem egenti. Finis est *tui similis auxilium*: caussa impulsiva interna *misericordia*, qua motus es; externa, pauperis *miseria*.

39. MEDIVM, dicitur *omne id, quod rationem continet sufficientem, cur finis obtineatur. Quidquid* autem *obstat, quo minus finis consequutio habeatur*, IMPEDIMENTVM audit *.

* Sic ad obtinendam scientiam medium erit *studium*; impedimentum contra *otium*, et *distractio*.

40. Ex quibus definitionibus apte inter se collatis plane deducitur 1. caussam finalem sui desiderium excitare per boni repraesentationem *. Et quia repraesentatio est mentis operatio (§. 15. *Log.*); liquet 2. eam in caussa efficiente intelligentiam requirere **; adeoque 3. nullum esse posse finem ei, qui facultate cognoscendi caret. Quumque media rationem contineant, cur finis consequutio exsistat (§. 39): sequitur 4. ut fines sine mediis haberi nequeant; ac proinde 5. media ad finem sint necessa-

 ria.

ria. Qui ergo 6. finem serio vult, & media velle debet ***; nec non 7. & impedimenta removere.

* In Psychologia namque patebit, nos nihil adpetere posse, nisi prius id nobis tamquam bonum repraesentemus. Vt ergo finis agentem ad sui desiderium alliciat, sub ratione boni, sive realis, sive adparentis, se ipsi ostendere debet, alias *ignoti nulla cupido* esset. Advertas tamen, finem tamquam bonum a caussa efficiente percipi: non autem necesse est, ut bonum illud ad eiusdem caussae perfectionem utilitatemque tendat, id quod in definitione et probationibus inde deductis non continetur; sufficit enim, ut ad entis alicuius perfectionem pertineat, adeo ut a caussa agente tamquam finis intendi possit.

** Omnis namque repraesentatio in mente fit (§. 15. *Log.*). Nisi ergo caussa efficiens intellectu praedita sit, finem intendere nequit. Et hoc est, quod vulgo aiunt: *Omne agens intelligens agere propter finem.*

*** *Serio* diximus, et ut Scholastici aiunt, *voluntate efficientiae*, ut distinguatur a *velleitate*, seu *semi-voluntate*, per quam intelligunt actum voluntatis incompletum, quo homo eodem tempore vult aliquid, et non vult; nempe vult finem, et media non curat. Quod si agens certo sciat, media ab aliis fore adhibenda, sufficiet impedimenta non ponere: id quod observandum volumus, ne in rebus Theologicis error irrepat.

41. *Scientia finium mediorumque ad fines tendentium* SAPIENTIA dicitur; & qui media ad fines optimos tendentia scit invenire, SAPIENS audit. Ex quo consequitur 8. ut solus sapiens bonum finem eligere sciat;

sciat; isque finem, quem intendit, consequi possit *.

* Is enim nec in finis electione falli potest; nec in mediorum investigatione. Hinc insipiens ad finis intentionem, et ad mediorum inventionem ineptus erit. Sed de his fusius in moralibus agemus.

42. MATERIA abstracte usurpata est *subiectum modificationes omnes, quae in re aliqua concurrunt, in se excipiens*; physice vero accepta, est *ea pars compositi, cui omnes eiusdem modificationes inhaerent* *. FORMA vero sunt *modificationes ipsae subiectum in certa rerum classe constituentes* **. Vocari ambae solent *caussae*; & illa quidem *materialis*, haec *formalis*. His addi consuevit EXEMPLAR, id est, *quidquid caussa efficiens agendo intuetur, cuique simile opus efficit* ***.

*** Vocatur alias ARCHETYPVM; idque dividi potest in INTERNVM, et EXTERNVM, quorum illud est *idea rei in mente agentis*; hoc vero *extra agentem*.

43. Adpendicis loco tandem pauca de signis addamus. SIGNVM definivimus (§. 41. *Log.*) per *rem quamdam sensibilem, quae praeter sui notionem excitat in mente ideam alterius rei*, quae SIGNIFICATVM dicitur. Id vero esse potest vel DEMONSTRATIVVM, si praesentem; vel REMEMORATIVVM, si praeteritam; vel denique PROGNOSTICVM, si futuram rem

significet. Dividitur etiam in NECESSARIVM, & ARBITRARIVM, prout a necessitate, vel hominum arbitrio ejus interpretatio pendet *.

* Sic fumus est signum necessarium ignis; verba sunt signa idearum arbitraria (§. 41. *Log.*). Veteres illud *naturale*; hoc *ad placitum* appellabant, quibus addebant signum *ex consuetudine*: sed hoc arbitrarium esse, ex ipsa Scholarum definitione patet. Trium vero generum signis homines conceptus suos exprimere consueverunt; verbis nempe, imaginibus, et utrisque simul. Prioris generis signa *voces*, *verba*, *termini*, VOCABVLA audiunt, quibus sermo componitur (§. 47. *Log.*); alterius vero HIEROGLYPHICA, quibus Aegyptii, et post eos Graeci usi sunt; tertii denique EMBLEMATA, quae ab artis Blasonicae studiosis ad conficienda academiarum, regionum, familiarumque stemmata adhibentur.

CAPVT SECVNDVM

De Ente.

44. ENtis notio eo distinctius Philosopho enodanda, quo frequentius in veterum, recentiorumque scriptis, nedum in omnium, qui aliquid se scire putant, ore vocabulum hoc quotidie reperitur. Vt autem id recte, atque ordine fiat, iuvabit possibilitatis & existentiae notiones diligenter evolvere, ne ex confusis earum ideis perobscura entis cognitio adquiratur. De illa ergo primum; mox de ente, eiusque exsistentia; tandem de ipsius essentia sermo erit.

SE-

SECTIO I.

De rerum possibilitate.

45. IMPOSSIBILE est *id, quod attributis constat se mutuo destruentibus** : estque vel ABSOLVTVM; si nullum admittat exceptionem **; vel RELATIVVM, si sub datis tantummodo circumstantiis tale sit ***: POSSIBILE vero est, *cuius attributa se mutuo non destruunt*, sive *simul stare possunt* ****. Horum abstracta sunt IMPOSSIBILITAS, & POSSIBILITAS.

* Vocatur a Graecis ἀδύνατον. Talia sunt *circulus quadratus*, *bilineum rectilineum*, *triangulum duos angulos habens rectos* &c. Impossibile ergo pugnat cum principio rerum cognoscitivo, quia tunc idem simul esset, et non esset.

** Dici quoque solet METAPHYSICVM; vel *pure impossibile*, quia semper, et ubique tale est, quippe quod cum rei alicuius essentia pugnat: ut *materia cogitans*, quae duo sese mutuo destruere adversus Lockium, D. de Voltaire, Buddeum, aliosque innumeros in Psychologia ostendemus. Vides hinc, quamlibet imperfectionem in Deo esse absolute impossibilem: nam *entis perfectissimi* essentiae omnino adversatur. Id quod contra Baumeisterum, aliosque id moraliter impossibile appellantes, breviter notasse sat erit.

*** Et quidem, si alicuius tantum caussae physicae vires excedat, *physice*; si ad datas περιστάσεις referatur, *hypothetice*; si denique morales personae cuiuspiam qualitates respiciat, vel ad humanae prudentiae leges attemperetur, *moraliter* impossibile vulgo dicitur. Ita physice impossibile

erat, *fluvium a canibus Aesopicis bibendo exsiccari*; hypothetice, *sole splendente tenebras adesse*; moraliter, *optimum patrem a probo filio interfici*. Cicero *pro Sext. Rosc.* Vides autem haec omnia esse impossibilia relativa.

**** *Possibilium* nomine hic intelligimus; non modo res EXSISTENTES, sed et eas, quae licet actu non sint, quandoque tamen futurae sunt, vel saltem nullam involvunt contradictionem; quarum illas FVTVRAS, has PVRE POSSIBILES non incommode appellare possumus.

46. INTRINSECVS possibile dicitur; *cuius attributa nullam inter se continent repugnantiam*; EXTRINSECVS possibile, *cui producendo sufficiunt vires caussae efficientis* *.

* In quacumque re duo haec observanda sunt, interna nempe eius possibilitas, quae in attributorum compatibilitate, si ita loqui fas sit, posita est; et externa, hoc est, vires caussae efficientis: quarum illa FORMALIS: haec CAVSSALIS a quibusdam appellatur. Sic quadratum est intrinsecus possibile: nihil enim obstat, quo minus exsistat. Est etiam extrinsecus possibile, quia quacumque manu, vel instrumento, et super quovis plano describi potest. Falso ergo Cartesius et Leibnitius, post quos Bulffingerus, et Baumeisterus, in caussae efficientis viribus possibilitatem absolute reponunt, id quod latam materialismo viam sterneret. Quum enim Leibnitius *Dei potentiam omnium possibilitatum, voluntatem vero exsistentiarum fontem esse* dicat: *Princ. phil. obs.* 49. *Theod. Part. I.* §. 7.; Baumeisterus autem id possibile vocet, *cui praestando vires alicuius caussae existentis sufficiunt*. *Metaph.* §. 44., acutum Lockio, et D. de Voltaire gladium porrigunt, ut, Deum posse cogitationem materiae tribuere, ex iisdem Philosophorum adsertis inferant, ut suo loco videbimus.

47.

47. Ex quibus omnibus clare deducitur 1. quidquid est absolute impossibile, numquam possibile fieri posse; 2. quidquid contra est relative impossibile, mutatis circumstantiis, posse fieri possibile *; 3. internam possibilitatem sine externa; non autem 4. externam sine interna, dari posse **.

* Nam in absoluta impossibilitate attributa semper, et ubique se mutuo destruunt (§. 44.); in relativa vero sub datis tantum circumstantiis; ideoque in illa numquam; in hac, datis aliis adiunctis, res possibilis erit. Et ratio est, quia impossibilitas absoluta directe pugnat cum principio cognoscitivo (§. 45. *), quod quum sit constans, et immutabile (§. 13.), nullam et ipsa subire poterit mutationem.

** Deficiente quippe interna possibilitate, habetur impossibilitas absoluta, quae semper, et ubique talis erit (*per not.* 1.); adeoque, quamvis potens sit caussa efficiens, nullam ei exsistentiam largiri poterit. Sic ipsamet Dei omnipotentia effici nequit, ut materia cogitet, ut post Lockium blateravit Voltaire: non quia Deo potentia desit, sed subiecto capacitas ob internam eiusdem impossibilitatem, quae oritur ex contradictoria cogitationis cum materia eiusque attributis oppositione, ut in Psychologia demonstrabimus. Contra vero poterit res aliqua exsistentiam accipere, licet vires caussae alienius ad eam producendam non sufficiant: quo casu interna possibilitas sine externa habebitur: ut materiae divisio in minimas et insensibiles usque particulas possibilis est, licet omnem hominis eludat artem, et imaginationem. Vid. Musschenbroeck *Elem. Phys. Tom. I. cap.* 2. §. 25. *seqq.*

SECTIO II.

De ente, eiusque exsistentia.

48. ENs (o) dicitur *quidquid est possibile* * (** 45.); NIHIL autem sive NON ENS, *quidquid est impossibile* **. Et quoniam possibilia vel actu exsistunt, vel extitura sunt, vel saltem non repugnant: ens commode dividitur in ACTVALE, FVTVRVM, & POTENTIALE, hoc est, PVRVM POSSIBILE ***. Contra vero, quum omne quod non est, ob internam externamve impossibilitatem tale sit: illud NEGATIVVM; hoc PRIVATIVVM nihilum appellatur ****.

* Vocabulum hoc latiori sensu usurpamus, ac alii, qui strictius id pro actu exsistente accipiunt, et a possibili distinguunt. Quidquid ergo non repugnat, ens dicendum est.

** Sic *circulus quadratus*, *materia cogitans*, *mundus aeternus*, nihil sunt, quia impossibilia (§. 45.). Ea de caussa Wolfius *nihilum*, ait, *esse*, *cui nulla respondet notio*. *Ontol. Lat.* §. 57. Plato per nihilum intelligebat quidquid oriretur, et interiret, ut et ens vocabat quidquid semper tale esset. Cicero *Tuscul. quaest. Lib. I. cap.* 24.

*** *Ens* igitur *actuale*, vel ut Scholis placet, *ens in actu*, est, quod iam exsistit; ut *Deus*, *Sol*, *Mundus*: *ens futurum*, quod licet non exsistat, aliquando tamen exstiturum est; ut *crastina dies*: *ens potentiale* demum, Veteribus *ens in potentia*, quod non est, nec erit, nullam tamen involvit repugnantiam, et esse potest, ut *plures mundi*.

**** Ni-

**** Nihilum ergo negativum est impossibile; privativum vero, futurum, vel purum possibile. Ita quum dicitur: *Ex nihilo nihil fit: Nihil ex nihilo gigni potest: Non entis nullae sunt adfectiones, nulla scientia: Fieri nequit, ut non ens fiat ens*, id de nihilo negativo intelligendum. Sedulo autem observandum, entia futura, vel pure possibilia non ideo a nobis privativa dici, quia ob defectum virium caussae efficientis non exsistant; sed quia nullas adhuc vires caussa efficiens ad eorum productionem impendit, eaque vel in futurum ad exsistentiam perducenda servavit, vel in purae possibilitatis statu relinquere voluit. Huius doctrinae usus in Cosmologia abunde patebit.

49. REALITAS est, *quae aliquid ponit in ente*; DEFECTVS, *qui nihil in eo ponit* *. Defectus ulterioris realitatis LIMES, sive TERMINVS audit. Realitas ergo est, vel LIMITATA, vel ILLIMITATA seu ABSOLUTA **.

* E. g. *Scientia* realitas est, *ignorantia* defectus. Probe tamen notanda horum vocabulorum notio, ne quando grammatica vocum significatione decepti res confundamus, et unam pro alia accipiamus. Persaepe namque voces inveniuntur simpliciter expressae, quae defectum notant; vel negatione praefixa, quae realitatem significant. Vt hoc exempli loco addamus, *paupertas* licet positiva videatur, defectus est; *infinitas Dei*, vel *immutabilitas*, realitates sunt, quamvis negationem sonent. Eodem modo *incorruptio* realitas est; *corruptio* defectus. Ne igitur in eo fallamur, observanda est regula a Lockio tradita *De intell. hum. Lib. II. cap.* 8. §. 5. scilicet: *negativa vocabula, ut* silentium, paupertas etc. *idearum positivarum absentiam indicare, nam unius ideae seiunctionem ab altera exprimunt.*

** Illa est realitas cum defectu coniuncta, haec defectus cuiusvis expers. Sic *scientia* in homine est realitas limitata; in Deo illimitata, sive absoluta.

50. Ens, in quo aliqua realitas invenitur, vel concipitur, POSITIVVM dicitur *; in quo vero defectus realitatis, cuius recipiendae subiectum capax esset, PRIVATIVVM; si vero incapax, NEGATIVVM appellari solet **. Addit Wolffius ens FICTVM, nempe id, quod licet impossibile sit, ut possibile tamen enunciatur, ob ideae alicuius deceptricis illusionem ***, & ens IMAGINARIVM, quod ideam exhibet imaginariam (§. 101. *Sch. Can.* 1. *Log.*).

* E. g. *Visio*, *scientia*, *opes*, *loquela*, et huius generis alia, sunt entia positiva.

** Ita *caecitas*, *ignorantia*, *paupertas*, *silentium* in homine sunt entia privativa: oppositarum enim realitatum esset homo capax. Sed *aeternitatis in mundo*; *cogitationis defectus in materia* sunt negativa: nam nec mundus aeternitatis; nec materia capax est cogitationis, ut in Cosmologia, et Psychologia ostendemus.

*** Dici quoque commode posset ens CHIMAERICVM, vel CHIMAERA, qualis est *Respublica Atheorum* tanto conatu a Petro Bayle venditata: eique adfine est Scholarum illud ENS RATIONIS, quod in sola mentis fictione exsistit, veluti monstrum Horatianum in *Artis poeticae* principio a Venusino Poeta descriptum.

51. Quia ergo realitas est positiva (§. 49. 50.); ad contradictionem autem requiritur op-

oppositio, sive negatio in altero oppositorum (§. 78. *Log.*): sequitur 1. ut nec ulla realitas in se spectata sibimet, nec ulli alii realitati contradicere possit; adeoque 2. quidquid realitati opponitur, non realitas sit, sed vel defectus, vel realitas limitata *; 3. ut quaecumque realitas sit possibilis (§. 45.), sive limitata ea sit, sive illimitata; 4. omnes absolutas realitates in uno eodemque ente uniri posse: idcirco 5. possibile esse ens aliquod omnibus possibilibus absolutis realitatibus praeditum **.

* Dum enim defectus realitati opponitur, quia ab ente tollit, quod realitas ponit (§. 49.), et quidquid cum defectu coniungitur, eidem realitati oppositum est: quum realitas limitata cum defectu coniuncta sit (§. *eod.* **), haec quoque realitati in se spectatae contradicere potest, non in quantum realitas est, sed quatenus defectum habet socium.

** Immo quia realitates illimitatae sunt verae, nec ullum habent cum defectu commercium (§. 49. **), erunt omnes positivae, nullamque contradictionem umquam inter se habere poterunt; totque entis illius erunt attributa, quot realitates. Sed ens constans attributis se mutuo non destruentibus, hoc est, sibi invicem non contradicentibus, est possibile (§. 45.): nullum ergo poterit esse dubium, quin ens omnibus possibilibus realitatibus illimitatis praeditum dari possit.

52. **EXISTENTIA** est *ille entis status, quo aptum est ad agendum, vel patiendum*; vel si Wolffiana definitio magis arridet, est *complementum possibilitatis* *. Vocatur haec in Scholis *actualitas*.

* Ad

* Ad exsistentiam enim non sufficit nuda possibilitas; sed oportet, ut ens, quod antea intrinsecus tantum possibile erat, ad illum statum a caussa efficiente redigatur, ut agere vel pati possit. Id vero est, quod Wolffius *possibilitatis complementum* appellat, quo nempe accedente, nihil obstat, quo minus *ens* strictiori sensu dicatur (§. 48. *), quia extra puram possibilitatem reperitur. Miramur ergo, cur aliqui metaphysicis abstractionibus parum adsueti Wolffianam definitionem reiiciant, eamque nullum sensum habere dictitent.

53. Quoniam externa possibilitas sine interna dari nequit (§. 47.); in existentia vero exercitium virium caussae efficientis habetur, adeoque externa possibilitas iam verificata (§. 52. *): consequens est 1. ut quidquid existit, sit etiam possibile: adeoque 2. ab existentia ad possibilitatem argumentum duci possit *; ut & 3 ab impossibilitate ad non existentiam **. Quia vero interna possibilitas sine externa stare potest (§. 47.); & aliquid in statu purae possibilitatis manere, nulla ei superveniente exsistentia (§. *eod.*): evidens est 4. nec a possibilitate ad existentiam ***; nec 5. a non existentia ad impossibilitatem posse duci conclusionem ****.

* Vulgo: *Ab esse ad posse valet consequentia*; vel *ab actu ad potentiam potest duci conclusio*. Nimirum ens ad exsistentiam perductum est a caussa efficiente actionem suam exercente. Sed nisi possibile intrinsecus foret, nulla vi, nullaque actione umquam exsistentiam recipere potuisset: ergo dum exsistit, est etiam possibile, idque legitima conclusione deducitur.

** Ve-

** Veteribus: *A non posse ad non esse valet consequentia*; vel: *ab impotentia ad non actum potest legitime concludi*. Idque ob eamdem rationem: nam quod intrinsecus est impossibile, nulla caussae efficientis potentia, aut vi ad exsistentiam perduci potest (§. 47.).

*** Scholasticis: *A posse ad esse non valet consequentia*; vel: *a potentia ad actum non potest duci conclusio*. Et ratio est, quia potest ens aliquod nullam involvere contradictionem, et simul non exsistere: nimirum si caussa aliqua efficiens, vel non potuerit, vel noluerit actione sua existentiam ei largiri: adeoque in statu purae possibilitatis manere debuit.

**** Scholis: *A non esse ad non posse non valet consequentia*; vel: *a non actu ad impotentiam concludi nequit*: ob eamdem rationem. Potest enim aliquid esse pure possibile, licet non exsistat. Quantae vero utilitatis in Metaphysica sint haec axiomata, in harum institutionum progressu videbitur: ut hic ulterius immorari inutile sit.

SECTIO III.

De entis essentia.

54. SVpereſt, ut de entis essentia pauca dicamus. Per ESSENTIAM intelligimus *complexum omnium proprietatum ens aliquod in certa entium classe constituentium* *. Eſt autem PROPRIETAS *quidquid enti praecipue competit, ut ipſi soli conveniat*. Proprietates autem essentiam conſtituentes, entis ESSENTIALIA dicuntur.

* Id ipsum notat vocis origo: nam essentia est *id quod facit esse entia*. Vocatur quoque NA-

TV-

TVRA, RATIO FORMALIS, FORMA, et a Scholasticis *quidditas*, quia per eam ostenditur *quid res sit*. Si proprietas aliqua ut principalis in ente concipiatur, a qua cetera manent, in ea entis illius essentia constituitur: sin plures sint, quarum nulla ut principalis concipi queat, earum summa essentiam componet, ut *tria latera*, & *tres anguli in triangulo*. Vides hinc, quid sentiendum sit de Scholarum definitione, a qua nec ipse Wolffius abhorruit, quaeque multas inter Physicos super materiae essentia movit turbas, ut in Physica docebimus.

55. Quoniam ergo ens generatim spectatum in eo a nihilo distinguitur, quod sit possibile (§. 48.): sequitur 1. ut entis qua entis, essentia sit possibilitas *; ideoque 2. quodlibet ens essentia sua necessario gaudere debeat, nec unquam illa privari possit **. Vnde patet. 3. essentiam entis esse necessariam ***, aeternam ****, immutabilem, incommunicabilem, augmenti diminutionisque incapacem *. Recte proinde 4. Philosophi enunciarunt: *essentias rerum esse inter se sicut numeros* **.

* Per possibilitatem enim in entium, nempe possibilium, classe constituitur. Vnde mirandum, hanc propositionem a nonnullis fuisse impugnatam, fortasse quia ad eam perpendendam animum numquam applicuerunt.

** Si namque est ens, et possibile esse debet: alias non ens, sed *nihil* diceretur. Nec essentia ista privari potest, nisi in principium cognoscitivum impingere velimus: nam quod semel intrinsecus est possibile, semper tale esse debet. Quidquid autem de ente in genere dictum, de quolibet in specie intelligatur. Observandum tamen,

ment, unum idemque ens sub diversis relationibus considerari posse; adeoque sub quolibet aspectu peculiarem essentiam habere: ut homo sub aspectu entis consideratus, *possibilitatem*; ut res creata, *limitationem*; ut animal, *vim sentiendi*; ut homo, *sensum*, & *rationem* pro essentia habet. Si namque hanc neglexerint cautionem, quum dividenda componant, Tirones in fallaciam *compositionis* incident, ut Scholastici aiunt.

*** Philosophi necessitatem hanc vocant NECESSARIVM ESSENTIAE. Scilicet, non quod necessitas aliqua sit, ut ens aliquod exsistat (id quod NECESSARIVM EXSISTENTIAE diceretur), sed quia posito ente, eius essentiam poni, necesse est. Sic quum triangulum concipio, tria latera, et tres angulos simul concipere debeo: nec umquam mihi figuram illam repraesentare possum, nisi essentia sua praeditam. Futilis ergo est Langii conclusio, triangulum hoc modo necessitate quadam exsistere, id quod fatalismum saperet. Nimirum nostra enunciatio est: *dato triangulo, essentiam eius dari oportere*.

**** Quum enim necessaria sit, numquam dari species ulla poterit, qua ab ente absit, atque adeo erit aeterna. Cave tamen credas, entia cum suis essentiis ab aeterno exstitisse, nam hoc ad Pantheismum, vel Stoicismum recta duceret: sed Deum ab aeterno res omnes suis essentiis praeditas sibi repraesentasse. Per eas enim a tota aeternitate possibiles fuerunt: veluti res creatae per limitationem, triangulum per tria latera et tres angulos etc.

* Sicuti enim posita essentiae communicatione ab uno ente ad aliud, in ambobus mutatio haberetur, id quod cum essentiae necessitate, et immutabilitate pugnat: ita si augeri, minuique posset, mutatio quoque adesset, et in eamdem contradictionem lapsus foret.

* Ni-

** Nimirum numeri sunt eiusmodi, ut si aliquid iis addatur, vel dematur, tales esse desinant: ut numerus denarius talis erit, donec decem in eo concurrant unitates; si vero unitatem addideris, vel detraxeris, non denarius, sed undenarius, vel novenarius exsurget, adeoque denarius esse desinet. Idem de essentiis enunciare licet: nam parallelogrammum eo usque erit parallelogrammum, donec quatuor latera, et totidem angulos habeat; si vero vel unum latus addideris, aut abstuleris, non amplius parallelogrammum, sed vel pentagonum erit, vel triangulum.

56. Quia vero entis essentia est absolute necessaria (§. 55.): consequens est 5. ut ens sine ea nec concipi, nec existere possit; ac proinde 6. entis essentiam non esse ab eo distinctam, nulla difficultate colligitur *.

* Tria ergo latera, et tres anguli non sunt a triangulo distincta, sed ipsum triangulum: ut adeo entis essentiam sine ipso ente concipere nullo modo possimus eodem modo, quo ens sine essentia sua concipi nequit (*per num. 5. huius.*)

57. Essentia entis est, vel METAPHYSICA, quae abstracte a mente nostra ipsi tribuitur per ideas a nobismetipsis de eo confectas; vel PHYSICA, quae realiter enti inest, nec ab ideis nostris ullo pacto pendet *. Illa nobis nota est; haec ignota, vel saltem imperfecte cognita **; adeoque illa *intuitivae*, haec *demonstrativae* cognitionis est obiectum ***.

* Sic essentia trianguli saepius exposita est metaphysica: ipsi namque tributa est per ideas, quorum obiecta sunt in mente nostra. Corpus ve-

ro organicum, et anima ratione praedita essentiam hominis physicam constituunt: nam ab ideis nostris minime pendent, suntque entia vere extra mentem exsistentia.

** Et recte: Nam quum essentiae metaphysicae a nobis efformatae sint, idearumque, quas de iis habemus, obiecta in mente exsistant: solo sensu interno (§. 35. *Log.*) nobis innotescunt. Physicae contra, quum realiter extra mentem exsistant, non semper, sed raro admodum et imperfecte, ipsi patescunt: ita ut longa et continuata opus sit attentione cum rectae rationis usu ad earum ideas adquirendas. Hinc est, ut Mathematici de rerum essentiis tanta securitate loquantur; physici de iisdem inter se digladientur.

*** Intuitiva namque dicitur cognitio, quae experientiae ope adquiritur, ideoque intuitive cognoscimus essentias metaphysicas, idest per experientiam internam (§. 117. * *Log.*). E contrario, quum essentiae physicae sint nobis ignotae, ad earum cognitionem per ratiociniorum seriem a priori, scilicet per demonstrationem, pervenimus: unde earum cognitio est demonstrativa (§. 129. *Log.*).

58. Ens, in cuius essentia ratio sufficiens suae existentiae continetur, A SE; cuius vero ratio extra eius essentiam reperitur, AB ALIO existere dicitur *. Quumque omne rationem sui habens sufficientem, eam aut in sua essentia habeat, aut in alio ente extra se (§. 23); sine ratione vero sufficiente nihil umquam existere possit (§. *eod.*): liquido patet, quodcumque ens vel *a se*; vel *ab alio* existere.

* Sic Deus exsistit a se: non quod semetipsum produxerit, quod est impossibile (§. 35.), sed

sed quia rationem suae exsistentiae in propria essentia habet. Mundus autem, ceteraque omnia, praeter Deum, entia ab alio exsistunt, quia rationem illam in alio ente, adeoque extra suam essentiam, habent.

CAPVT TERTIVM

De generalibus entis adfectionibus.

59. QVidquid de ente quomodolibet enunciari potest, eius ADFECTIO dicitur. Omnium autem entis adfectionum quaedam eius essentiam constituunt, & ESSENTIALIA nominantur; quaedam in ea rationem sui sufficientem agnoscunt, & dicuntur ATTRIBVTA; quaedam denique rationem illam extra essentiam habent, & MODI, sive ACCIDENTIA nominantur *; Ens autem illud, cui essentialia, attributa, & modi inhaerere concipiuntur, SVBIECTVM ** audit.

* Sic in homine vis sentiendi, et cogitandi sunt essentialia, quia eorum aggregatum hominis essentiam constituit: unde a veteribus dicuntur *essentialia constitutiva*. Libertas, voluntas, ratio, loquela sunt attributa, quia eorum ratio sufficiens in illius essentia continetur: quapropter veteres appellabant *essentialia consecutiva*. Eruditio tandem, pulchritudo, opes, modi sunt, quia rationem suam non in essentia hominis, sed aliunde agnoscunt: quare *adiunctorum* nomine vulgo exprimuntur.

** Vocari solet ideo SVBIECTUM INHAESIONIS, quia subest adfectionibus, quae ipsi inhaerent, easque veluti sustinet; id quod sedulo no-

notandum, ut quae infra de substantia dicenda sunt, clare intelligantur.

60. Evidens ergo est 1. essentialia entis cum eiusdem essentia idem esse (§. 54. 59.), 2. attributa vero ab essentia pendere (§ 35.), eamque ut caussam univocam agnoscere (§. 26.). Et quia qualis est caussa, talis est etiam effectus (§. *eod.* *): liquet 3. posita entis essentia, poni eius essentialia, & attributa; ideoque 2. haec aeque, ac illam, esse absolute necessaria, aeterna, immutabilia, augmenti diminutionisque incapacia (§. 55.), unde 5. nunquam ab ente separari posse; attamen 6. illi perpetuo, ac constanter inesse debere.

* Quum enim attributa ab entis essentia pendeant (§. 59.); haecque illorum sit caussa univoca (§. 26.): necessario, qualis est essentia, talia quoque attributa esse debent (§. *eod.*).

61. Quum autem accidentia, vel modi rationem suam extra entis essentiam habeant (§. 59.): patet 7. ea esse contingentia, temporaria, mutabilia, augmento diminutionique obnoxia; ac proinde 8. ab ente separari posse; 9. nec perpetuo, & constanter ipsi inesse *.

* Incolumi ergo entis essentia auferri, mutarive possunt. Hinc Scholastici modos esse dicebant *eiusmodi praedicata, quae subiecto possunt inesse, & abesse absque illius destructione*.

62. Modorum possibilitas, idest *subiecti capacitas ad modos recipiendos* vocatur DIS-

PO-

POSITIO NATVRALIS. Ea vero habetur, si quando modi cum entis essentia non pugnant, alias enim subiectum iis recipiendis esset ineptum. Liquet ergo 10 dispositionem naturalem in entis essentia rationem habere sufficientem: ideoque 11. ut eius attributum considerari posse (§. 59.) *.

* E. g. eruditio modus est, nam a studio, et meditatione pendet: homo tamen naturaliter disponitur ad eam recipiendam, quia per vim ratiocinandi, nempe per essentiam propriam eruditioni consequendae aptus est. Nisi eruditio cum hominis essentia conveniret, esset intrinsecus impossibilis (§. 46.), ac proinde numquam homo hunc in se modum recipere posset.

63. His universalibus praemissis notionibus, ad generales entium adfectiones investigandas accedamus. Harum potissimae tres enumerantur, scilicet VNITAS, VERITAS, & BONITAS. De singulis ergo pauca delibabimus.

SECTIO I.

De entis unitate.

64 VNum definivimus (§.28.* *Log.*) pe *id, quod indivisum in se, & a aliis separatum concipitur*. Integritatem han & solitudinem ei conciliat indivisibilis essentia, atque ab ea pendentia attributa, ne non & modi, quorum omnium in ent praesentia efficit, ut illud ens praecise sit

& non aliud. VNITAS ergo entis est *complexus omnium adfectionum ens unum constituentium.*

* Vocatur haec VNITAS METAPHYSICA, veteribus *transcendentalis*, vel *absoluta*. E. g. *Socrates* est unus, quia in eo, praeter hominis essentiam et attributa, plurimi modi concurrunt, e quorum summa conficitur individuum illud, cui nomen *Socrates*, qui propterea a Platone, aliove homine distinguitur. Vnus est, quia omnibus illis adfectionibus adeo praeditus est, ut sit in se indivisus, in eoque ab omnibus aliis rebus distinguatur. Quum autem de ente generatim sumto loquimur, in eo modorum tantum possibilitatem cum omnibus attributis recensemus, quippe quae ad ideas universales in statu quolibet agnoscendas sufficiunt (§. 50. 124. *Log.*). Saepe tamen unus accipitur pro *unico*, quo unum ens indicatur cetera omnia excludens: veluti *unus Deus*, *una fides*, *unum baptisma*. *Ephes. IV.* 5.

65. Vnum porro est, vel DIVISIBILE, *si in plures partes resolvi possit*; vel INDIVISIBILE, *si dividi nequeat* *. Rursus est vel unum PER SE, *si, licet ex pluribus partibus sit conflatum, hae tamen ad id constituendum primario sint ordinatae*; vel PER ACCIDENS, *si partibus constet nullum ordinem servantibus, & confuse aggregatis* **.

* Sic *homo* est unum divisibile, quia in suas partes, animam et corpus, resolvi potest: *Deus* est unum indivisibile, quia divisionis est incapax.

** *Homo* ergo est unum per se, quia anima et corpus ad eum constituendum sunt ordinatae: *acervus frumenti* est unum per accidens, quia eius par-

partes, nempe frumenti grana, nullo ordine, et confuse admodum coagmentatae sunt; et quia ex earum aggregatione unum illud enatum est, ideo a Scholasticis dictum est *unum per aggregationem*.

66. Quum ergo quodlibet ens sua polleat essentia (§. 55), et attributis (§. 60.); haec vero, utpote necessaria, ab eo seiungi nequeant, vel mutationem subire (§. *eod.*); in eorum autem complexu entis unitas consistat (§. 64.*): vel rudissimus quisque concludet, quodlibet ens esse unum *.

* Quae de ficta illa entium unitate phantasticus effutivit Spinoza, licet per se ipsa attendenti patescant, in sequentibus tamen ad trutinam revocabimus, nulloque negotio refellemus.

SECTIO II.

De entis veritate.

67. VERITAS METAPHYSICA, Scholarum effato TRANSCENDENTALIS, est *convenientia entis cum sua essentia* *. Vnde VERVM ens dicitur, *quod propriam habet essentiam*. Veritas dividitur in ESSENTIALEM, *si convenientia haec inter essentialia adsit*: et ACCIDENTALEM *si adfectiones entis accidentales cum essentialibus conveniant* **.

* Quotiescumque igitur ens aliquod suam habet essentiam, tunc *veritas* ipsi tribuitur, et *verum* dicitur. F. g. *aurum* est verum aurum, si auri essentiam, hoc est omnia auri habeat requisita.

** Sic in allato exemplo veritas est essentialis. Si vero color, et pondus auri essentiae respondeant, tunc veritas accidentalis adesse dicitur, quia cum essentialibus accidentia conveniunt.

68. Quoniam igitur quodlibet ens sua gaudet essentia (§ 55.); in hoc autem entis veritas sita est (§. 67.): liquido infertur, quodlibet ens esse verum *.

* Loquimur hic de veritate essentiali, quo sensu falsitas nulla datur: licet enim vulgo dicatur falsum aurum, id de accidentali falsitate intelligendum. Nam de essentiali, vel aurum suam habet essentiam, vel aliam, et plane diversam: si primum, erit verum aurum: si alterum, erit argentum, cuprum, orichalchum, aliudve simile, idque verum. Quum ergo ens aliquod auri colorem praesefert, alius vero metalli essentiam habet, erit metallum accidentaliter falsum, essentialiter autem verum: nam accidentia cum essentialibus non conveniunt.

SECTIO III.

De entis bonitate & perfectione.

69. BOnitatem, ac perfectionem entis unum idemque esse, adfirmant quamplurimi: id vero negant non pauci. Quum autem non, nisi evoluta utraque notione, quaestio haec diiudicari possit: non abs re ab earum definitionibus sectionem hanc exordimur.

70. BONVM vulgo dicitur *quidquid propriae essentiae, ac fini, ad quem ordinatum est, primario convenit*. Convenientia porro en-

entis cum sua essentia, et fine, ad quem ordinatum est, BONITAS audit *.

* Sic bonum dicitur horologium, si omnia habeat requisita ad horas indicandas apte ordinata: horarum namque indigitatio est horologii finis. Dici solet haec bonitas ESSENTIALIS, vel *transcendentalis*, in qua distinguitur ab *accidentali*: sed de hac mox. Nunc pauca de ordine dicenda sunt, quo clarius definitionis sensus intelligatur.

71. ORDO est *delectus*, & *dispositio rerum alicui fini destinata* *. Eius oppositum dicitur CONFVSIO; et modus quo res illae invicem sunt dispositae, REGVLA *ordinis* **: quae si una sit, SIMPLEX; sin plures, COMPOSITVS ordo nascitur **.

* Cicero cum Stoicis ordinem definit; *compositionem rerum aptis, & accommodatis locis. De offic. l. 4. cap* 42. Recentiores post Wolffium ordinem esse dicunt *similitudinem*, *quae obvia est in modo*, *quo res iuxta se collocantur*, *aut invicem consequuntur*. *Ontol. lat.* §. 472. Has vero definitiones eodem redire quisque videt. Sic in exercitu ordo adest, si milites ita disponantur, ut eiusdem sint proceritatis, et vestitus, omnes autem iisdem armis instructi pari passu incedant; duces, vexilla, commeatus, praesidia, cetera supellex, suum quaeque locum occupent. Contra vero, si in aliquo conflictu fusi et fugati, pedites equitibus, duces militibus commixti extra aciem vagentur; si vexilla ab hostibus capta, vel in terram disiecta; si inter indistinctos clamores crudelis ubique luctus, ubique clamor, et pallida mortis imago observetur: in exercitu confusionem adesse enunciamus. Mirifice ordinis notionem illustrat Plinius *Lib. III. ep.* 1., ubi Spurinnae vitam adeo bene ordinatam suo more describit; et

ep.

ep. 20. in describendis comitiis, mirum quantum confusionis ideam amplificat.

** Sic in adducto exemplo regulae ordinis erunt *vestes*, *statura*, *incedendi forma*, cetera huiusmodi. Item in bibliotheca librorum moles, editio, argumentum, auctor, ligatura, diversae erunt ordinis regulae.

*** Compositum habes ordinem in militibus iam supra descriptis, in quibus si sola vestium, staturae, vel incessus similitudo habeatur, ordo simplex dicendus est.

72. Ex quo patet 1. in quolibet ordine regulam adesse debere, vel unam illam, vel plures; immo vero 2. quo plures regulae adsunt, eo maiorem ordinem haberi: unde 3. e plurium ordinum simplicium connexione, maiorem ordinem compositum exsurgere: 4. ordinem supponere pluralitatem rerum, earumque unionem; adeoque 5. ubi unum ens, nec ulla compositio, ibi nullum umquam ordinem inesse posse: *6.* in quacumque entium unione posse quodam respectu reperiri ordinem, alio vero confusionem *.

* Sane in exercitu potest in vestitu adesse ordo; in statura contra, aut incessu confusio. In bibliotheca item possunt libri in auctoris nomine, aut themate ordinem habere; in mole, vel ligatura confusionem. His ergo, similibusque exemplis adserti veritas illustrari potest.

73. PERFECTIO, quemadmodum breviter, et acute explicat Wolffius, est *consensus in varietate*, sive *plurium invicem dis-*

differentium in uno. CONSENSVS vero dicitur *tendentia ad finem* *. Quapropter IMPERFECTIO recte definitur *per dissensum in varietate*; vel, quod idem est *insufficientiam ad finem* **.

* Recte ergo perfectio a multis definitur per *sufficientiam ad finem*. Sic perfectum dicitur horologium, si omnes rotae, elateres, ceteraeque eius partes, licet diversae magnitudinis, structurae, materiei, ac situs, ad unum indicandarum horarum finem uniformi consensu tendant, nempe ad illum obtinendum sufficiant. Hinc vides BONITATEM, ac PERFECTIONEM unum idemque esse; quia in convenientia, sive consensu ad finem consistunt. Qua de re deinceps his vocabulis perinde utemur.

** Imperfectum ergo est horologium, si variae eius partes inter se dissentiant, et ad horas indicandas admodum sint insufficientes.

74. Ex qua definitione liquet, ad perfectionem requiri 1. CONSENSVM, sive uniformem tendentiam, 2. VARIETATEM, scilicet plura entia inter se diversa, 3. FINEM, ad quem illa tendant; qui propterea RATIO DETERMINANS, REGVLA, vel PRINCIPIVM PERFECTIONIS, appellatur *. Si principium hocce fuerit unicum, perfectio SIMPLEX; sin plura, COMPOSITA dicetur **, quae tanto melior erit, quo plura inerunt huiusmodi principia.

* Id clare patet in exemplo horologii, in quo *partes* invicem differentes, puta rotae, elateres, indices etc. *consentiunt*, tenduntque ad *finem*, nempe horarum indigitationem. Si-

** Si ergo horologii finis fuerit horarum sola indicatio, eius perfectio simplex erit; sin plures, nempe horarum, minutorum, dierum, mensium ostensio, habebitur perfectio composita.

75. Bonitas porro, vel perfectio, est ESSENTIALIS, si consensus ille, seu tendentia sit inter entis essentialia, et attributa, quae ab essentia pendent; vel ACCIDENTALIS, si modi quoque cum essentialibus ad eumdem finem tendant, et conspirent *: Si consensus hic verus et realis sit, perfectio VERA; sin falsus, ADPARENS appellabitur.

* Bonitas ergo accidentalis in horologio habetur, si omnes eius partes tali materia, magnitudine, forma sint, ut attritus minor, duratio maior fiat, ne cito aequilibrium amittere possit. Vides hinc, perfectionem accidentalem cum essentiali eamdem rationem determinantem habere debere.

76. Quum itaque perfectio sit consensus (§. 73.): sequitur 1. ut inter varias perfecti partes discrepantia non adsit; adeoque 2. nulla contradictio. Et quia inter solas realitates discrepantia non datur (§. 51.): evidens est 3. omnia, quae in ente consentiunt, esse realitates; proindeque 4. perfectionem ex pluribus realitatibus constare; 5. imperfectionem autem exsurgere, si in ea defectus irrepant * (§. *eod.*); 6. perfectionem ergo esse maiorem, quo plures realitates intensius consentiunt; immo vero 7. maximam dici debere, si omnes pos-

sibiles realitates intensissimae, absolutae, nulloque limite adstrictae plenissime in aliquo ente consentiant, nempe omnis in eo possibilis adsit consensus.

* Vbi namque est imperfectio, adest et dissensus (§. 73.), sive contradictio; quidquid autem realitati opponitur est defectus (§. 52.): vides ergo, imperfectionem ex defectibus oriri.

§. 77. Quidquid plura habet in uno consentientia, BONVM, vel PERFECTVM dicitur; id vero, in quo omnis possibilis adest consensus, *summe* BONVM, * sive PERFECTISSIMVM. Bonum porro aliud est per ESSENTIAM, si realitatum, quibus gaudet, rationem sufficientem in propria essentia habeat; aliud per PARTICIPATIONEM, si rationem illam in alio ente agnoscat **. Rursus bonum est vel ABSOLVTVM, si in se, et absque ulla relatione spectetur; vel RELATIVVM, si non in se, sed tantum in comparatione ad aliud ***.

* *Summe* quidem: nam omnem bonitatis perfectionisque possibilitatem exhaurit, quamcumque vero perfectionum realitatumque summam excedit. Vt enim in eo omnis possibilis inveniatur consensus, omnes possibiles realitates absolute habeat, necesse est; ac proinde est undequaque summum.

** Sic ens perfectissimum tantum est bonum per essentiam; res vero creatae, et contingentes tales sunt per participationem, quia bonitatem, quam habent, ab illo participant. Probe tamen distinguenda sunt bonitas *per essentiam* a bonita-

te

te *essentiali*, attendendo ad definitiones supra iam traditas, ne utraque confundentes in Pantheismum delabamur.

*** Si ad superius dicta attendamus, videbimus, ens absolute bonum posse, relate ad aliud ens, esse malum, eoque peius in hoc sensu evadere, quo melius est in se: ut gladius, licet absolute bonus, quia fini suo conveniens est; si tamen ad eum, qui gladio percutitur, referatur, malum erit; immo eo maius et profundius vulnus efficiet, quo exactius et perfectius erit elaboratus.

78. Quum ergo quodlibet ens sit possibile (§ 49.), suamque essentiam habeat, ut ea privari nequeat (§. 55.); tale autem non esset, si attributis constaret sibi invicem contradicentibus (§. 45.), hoc est si attributa ab essentialibus discreparent; ubi vero non est contradictio, adest consensus (§. 76.): sequitur 8. ut in omni ente adsit consensus in varietate; adeoque 9. perfectio, sive bonitas (§. 73.); ac proinde 10. patet, quodlibet ens esse bonum. *

* Id vero de bonitate essentiali intelligendum: nam si de accidentali loquamur, quia accidentia, sive modi, sunt mutabilia (§. 61.), poterit in hoc sensu dari malum. Hinc vides, quid sentiendum sit de malo metaphysico Leibnitiano, quo nomine distingui vult limitatio in rebus creatis, omnesque adfectiones ab ea nascentes. Bonitas enim metaphysica rei creatae in convenientia eius cum sua essentia, atque adeo cum limitatione consistit: nam alias a Creatore non distingueretur, essetque nihil (§. 48.). Quae vero contra Petri Bayle deliramenta dicenda sunt, infra exhibebimus.

79. COLLISIO regularum perfectionis est *pugna duarum perfectionum simplicium aliquam compositam constituentium, ex principiorum mutua oppositione orta* *. EXCEPTIO contra a regula perfectionis dicitur *neglectus alicuius perfectionis simplicis, maiorem perfectionem adquirendi gratia institutus* **: nam generatim exceptio est *determinatio quaedam regulae contraria, non sine sufficienti ratione facta*.

* Plures regulae collidi, atque inter se pugnare dicuntur, quotiescumque simul consistere, simulque haberi nequeant, ita ut necessario una negligi debeat, altera eligi, vel ambarum pars omitti, ut maius bonum obtineatur. E. g. Libri tibi eruditionis comparandae gratia sunt emendi, atque eorum copiam habeas, opes minuendae. Eruditio, et opes tot simplices sunt perfectiones; ita tamen, ut simul consistere nequeant: nam aut illa negligenda, aut hae minuendae. Hic perfectionis regulae colliduntur, ut necessario electio super alterutram cadere debeat.

** Exceptionem admittimus in regularum collisione, si quando determinationem aliquam adsumimus regulae contrariam, et ob eiusmodi pugnam perfectionum unam negligimus, alteram retinemus. Sic in superiori exemplo, quum eruditio et opes simul haberi nequeant, exceptio admittitur, eruditionem, utpote maius bonum, opibus praeferendo.

80. Quoniam igitur, experientia teste, perfectionis regulae collidi possunt; et quoties id accidit, exceptio est admittenda (§. 79.): recte colligitur 1. ut si quando inter perfectionis regulas collisio adsit, ma-

maius bonum minori *; perfectio vero totius perfectioni cuiuscumque partis praeferenda sit **, 12. at si vel minima exceptione facta finis obtineri possit, totius perfectio maior evadat ***.

* Hinc bonum animi bono corporis, vel fortunae anteponendum: ut in specie iam tradita, eruditio, utpote bonum animi, opibus, aliisque externis bonis est anteferenda.

** E. g. Miles in bello gravi vulnere ictus brachium, vel crus corruptioni proximum habet, ut vitae suae merito timere debeat. Vnicum adesse audit remedium, brachii crurisve amputationem; ne corruptio longius diffusa totum corpus adficiat, mortemque producat. Duae hic regulae colliduntur, vitae nempe conservatio, et membrorum integritatis cura. In exceptione igitur totius potius, quam partis perfectioni consulit, et brachio vel crure orbatus vivere mavult, quam membris integer mori. Vides hinc, partis imperfectionem saepe totius perfectioni conferre: non quod imperfectio perfectionem producere possit, ut caussa efficiens; nam nemo dat quod non habet (§. 36. **): Sed ut conditio SINE QUA NON (§. 25. *): etenim, nisi remoto impedimento, quod e partis corruptae praesentia nascebatur, sanitas totius haberi nequit.

*** Si namque totum sit perfectum, quacumque licet partis imperfectione (§. *huius. not.* 2.), multo perfectius erit, si vel minima exceptione facta, finis nihilominus obtineatur. Vt enim ab eodem exemplo nullus fiat discessus: si publicarum Academiarum, bibliothecarumque copia habeatur, quo nulla opum iactura eruditio adquiri possit, hominis illius perfectio maior erit.

81. Ex dictis patet 12. exceptionem producere imperfectionem in parte, salva ta-

men totius perfectione (§. 80. **); adeoque 13. in illa defectum inducere (§. 76), qui tamen totius perfectioni non obstat. Iure igitur 14. praecipitantiae arguendi sunt, qui ex eo, quod in parte aliqua defectum aliquem se deprehendere credunt, totius inde imperfectionem inferri debere, contendunt *.

* In hoc peccasse Manichaeos, ipsumque Petrum Bayle, qeum Manichaeismum propugnans contra mundi perfectionem declamavit, in Cosmologia erit disserendi locus.

82 Quia vero exceptio regularum exigit collisionem (§. 79.): infertur 15. eam locum non habere ubi unica tantum fuerit regula, nempe in perfectione simplici (§. 74.), 16. probe tamen dari posse tantum in composita *.

* Vt enim collisio dari possit, regulae plures esse debent (§. 79.); adeoque composita perfectio exceptionibus est obnoxia, non item simplex, in qua una adest ratio determinans (§. 74.), quae sibi ipsa repugnare nequit (§. 15.).

83. Cuiuscumque rei perfectio duobus modis agnoscitur, vel 1. principium, sive regulam perfectionis conficiendo, atque ad eam omnia in ente occurrentia exigendo, utrum in ipsa consentiant, necne; vel 2. quaslibet entis alicuius partes considerando, earumque consensum perpendendo, atque inde perfectionis principium eruendo. In-

il-

illo perfectionem a PRIORI cognoscimus; in hoc a POSTERIORI *.

* Artis opera priori modo ad examen revocantur; Naturae effecta posteriori methodo diiudicantur, atque inde iudicium de earum perfectione profertur.

CAPVT QVARTVM.

De adfectionibus entis relativis.

84. EXcussis generalibus entis proprietatibus, ad speciales eius adfectiones evolvendas transeamus, utpote quae non cuilibet, sed quibusdam tantummodo entibus conveniunt: qua de re dicuntur a nobis RELATIVAE, quia ad aliquas entium species referuntur. Vt autem ea in re methodi systematicae rigor observetur, a similitudine, & diversitate ordiemur.

SECTIO I.

De similitudine, & aequalitate.

85. MVTVO sibi SVBSTITVI posse dicuntur ea, *quorum uno in alterius locum posito, omnia manent, ut prius erant* *. Quae porro sibi mutuo substitui possunt, EADEM; quae non possunt, DIVERSA vocantur **. Illorum relatio barbaro, sed recepto, vocabulo IDEMTITAS, eaque ABSOLVTA ***;

horum, DIVERSITAS, vel DISTINCTIO dici consuevit.

* E. g. *bis duo*, et *quatuor* sibi invicem substitui possunt, quia licet unum in alterius locum ponatur, nulla tamen mutatio evenit, omniaque ut ante, manent.

** Igitur *bis duo*, et *quatuor* eadem sunt: contra 2 + 3, et 4 sunt diversa, nam nulla in iis substitutio fieri potest.

*** *Absoluta* quidem, ut distinguatur a RESPECTIVA, quam esse aiunt convenientiam in aliqua re, ut homo, et brutum in *vita*, et *sensione* conveniunt, adeoque *respective eadem* dicuntur. Si vero dicendum quod res est, respectiva haec idemtitas proprie diversitas dici deberet; nam licet in aliquibus notis convenientiam habeant, in pluribus autem quam maxime differunt, adeoque sibi invicem substitui nequeunt. Hinc illam ADAEQVATAM, hanc INADAEQVATAM accuratiores appellare solent: quia in illa proprie, in hac improprie entibus idemtitas tribuitur.

86. Eadem porro esse possunt, vel GENERE, si in determinationibus genus aliquod constituentibus; vel SPECIE, si in circumstantiis speciem componentibus; vel NVMERO, si in omnimodis caracteribus individuum aliquod praecise determinantibus sibi invicem substitui possunt *: quae omnia diversa ratione se habent in distinctione **.

* Genere eadem sunt *homo*, et *brutum*; specie *Plato*, et *Aristoteles*; numero quodlibet individuum cum seipso, ut Alexander Porum vincens idem est cum Alexandro in Perside effeminato, et Clitum interficiente. Curtius *Lib. VIII. cap.* 2.

** Sic

** Sic genere diversa erunt *homo*, et *planta*; specie Alexander, eiusque bucephalus; numero duo globi eburnei eamdem praecise massam sub eodem volumine, eamdemque figuram, colorem etc. habentes. Vides hinc, individua posse solo numero differre; adeoque inter ea probe dari posse distinctionem numericam, scilicet, ut plura loco et tempore tantum distincta, in reliquis vero determinationibus eadem inveniri possint.

87. Diversa sunt, vel DISPARATA; si simul consistere queant; vel OPPOSITA, si una ſtare nequeant: atque haec rursus dicuntur CONTRADICTORIA, si se mutuo deſtruant, scilicet quum uno incluso, alterum excluditur, & contra; CONTRARIA vero, quum uno incluso, alterum quidem excluditur, verum exclusio unius inclusionem alterius non infert.

* Hoc modo *pietas*, et *eruditio* disparata; *lux*, et *tenebrae* contradictoria; *amor*, et *odium*, contraria sunt. Hinc contradictoria medium inter se non admittunt: at diversa ratione se habent contraria. Advertendum tamen, contraria simul in uno sub eadem relatione inveniri non posse: sub diversis vero respectibus in eodem ente unà consistere poterunt. Et quidem eumdem hominem unum amare, alium simul odisse, quotidie observamus: id quod in contradictoriis omnino desideratur. Nullibi namque compertum est, in eodem loco sub una relatione lucem, sub alia tenebras adesse: aut idem corpus sub diversis adspectibus pellucidum simul, et opacum esse. Et hoc ad intelligendas quasdam enunciationes in Psychologia exponendas haud parum affert adiumenti.

88. Ex quibus notionibus porro liquet: 1. quae sunt eadem cum aliquo tertio, eadem

eadem esse inter se ; 2. quorum unum cum tertio est idem, alterum vero diversum, esse inter se diversa (§. 83. *Log.*). Et quia caussa perfecte eadem non potest contrarios producere effectus (§. 36.): sequitur 3. ut ubi eadem est essentia, ibi eadem sint attributa ** (§. 60.).

* Sunt haec axiomata Philosophis familiarissima, quae quum nulla demonstratione egeant, maximi usus in scientiis esse possunt, ac intelligendis plurimis propositionibus inserviunt.

** Si namque attributa rationem sui sufficientem in entis essentia habent (§. 59.), haecque illorum est caussa univoca (§. 60.): necessario, qualis est essentia, talia esse debent attributa (§. 16. *).

89. NOTA CHARACTERISTICA dicitur *id, ex quo res cognoscitur, & a reliquis distinguitur* *. Si haec sine alio adsumpto intelligi possit, QVALITAS audit **.

* Eam ita definit Baumeisterus *Ontol.* §. 102. E. g. Rugitus est nota characteristica leonis, quia per illum leo a reliquis animantibus distinguitur, et cognoscitur.

** Non enim opus est ad qualitatem intelligendam, ut aliud adsumamus, idest ut ei aliquod tertium adplicemus, vel conferamus: sed satis intelligitur, si exprimatur. Sic ut intelligatur mel esse dulce; non alio dulci opus est cibo, cum quo comparetur: adeoque vides, qualitatem esse *notam rei internam, quae sine alio adsumpto intelligitur*.

90. QVANTITAS est *multitudo eorum, quae ens aliquod constituunt* *. Dividitur in

in CONTINVAM, in qua constituentia ita connexa sunt, ut sine entis destructione separari nequeant; & DISCRETAM, si seiungi possint **.

* Ea de caussa Mathematici quantitatem definiunt, per id *quod ex partibus compositum potest concipi: estque augmenti diminutionisque capax*. Mathematicorum quidem quantitatem *magnitudinem* infra vocabimus: hic enim per *quantitatem* intelligimus eam magnitudinis considerationem, quae ex partium numero summaque consurgit. Sed ne tironibus metaphysicae huiusmodi abstractiones molestiam creent, vocabula haec in ore vulgi unum idemque significatum habere animadvertimus: ut idem ens modo *quantitatem*, modo vero *magnitudinem* appellare, sine erroris suspicione, possimus.

** Continua quantitas est *linea*, *superficies*, *solidum &c.*; discreta *numerus*, et quidquid numerico calculo subiici potest: numerus enim unitatum multitudinem notat (§. 27. *Arithm.*). Observes tamen, eamdem quantitatem, pro diversis relationibus, pro discreta, vel continua haberi posse. Qua de re confer nostra *Elem. Arithm.* §. 4. *nota*.

91. Qualitatum identitas SIMILITVDO; quantitatum vero, AEQVALITAS appellatur: ut & illarum diversitas, DISSIMILITVDO; harum contra INAEQVALITAS vulgo dicitur. SIMILIA ergo sunt, quae easdem habent qualitates; DISSIMILIA, quae diversas *. Contra vero quae eamdem quantitatem habent, AEQVALIA; quae diversam, INAEQVALIA nominantur **.

* Sic duo quadrata, duo circuli similia sunt: triangulum, et quadratum; quadratum, et rhombus dissimilia. Illa enim easdem; haec diversas habent notas characteristicas. Paucis: eamdem habentia definitionem, *similia* dicuntur; diversam contra, *dissimilia*.

** E. g. 2 † 2, et 4 sunt aequalia; 2 † 3, et 7 inaequalia: illa quidem ob eamdem; haec ob diversam partium multitudinem. Iure igitur illorum relatio AEQVALITAS; horum INAEQVALITAS appellatur.

92. Ex quibus definitionibus aperto colligitur 1. similia posse sola quantitate differre, salva tamen similitudine; 2. aequalia vero, salva quantitate, dissimilia esse posse *: 3. quae eidem sunt similia, vel aequalia, inter se pariter esse similia, vel aequalia; 4. quorum unum tertio simile, vel aequale, alterum vero eidem dissimile vel inaequale est, ea inter se esse dissimilia, vel inaequalia (§. 88.); 5. similitudinem, ac idemtitatem esse penitus diversissima; immo vero 6. hanc ab illa supponi tantum in qualitatibus. (§. 91.) **.

* Similitudo namque idemtitatem exigit in qualitatibus; aequalitas in quantitatibus. Possunt ergo duo vel plura easdem habere qualitates, licet quantitate differant, et contra; adeoque esse similia, quantitate licet diversa; vel aequalia, quamvis dissimilia.

** Quum enim similitudo sit qualitatum idemtitas (§. 91.): quin una toto coelo ab alia differat, dubitari nequit; adeoque poterunt quidem duo entia esse similia, licet non sint eadem. Et hoc attente notandum, ut manifestus Baumei-

ste-

steri paralogismus infra dignoscatur, quo duorum perfecte similium impossibilitatem horum terminorum confusione defendit.

93. Quoniam similitudo est idemtitas qualitatum (§. 91.), hae vero, utpote notae rei characteristicae (§. 89), sunt attributa aeque, ac modi (§. 59.): evidens est 7. ea dici perfecte similia, quae eadem attributa, eosdemque modos habent. Quumque entis adfectiones sint realitates, ut attendenti patet, quae in pluribus aeque inveniri possunt: nihil enim obstat, quo minus duorum homogeneorum utrique inesse possint; adeoque absurdum foret alteri inhaerere, alteri contra repugnare: sequitur ergo 8. ut eadem attributa, iidemque modi in duobus entibus inveniri possint; ac proinde 9. duo individua perfecte similia non pugnare, & esse possibilia, nullo negotio colligi potest *.

* Celebratissima quidem est Leibnitium inter et Clarkium quaestio agitata: num dari possint duo individua perfecte similia, solo tamen numero differentia? Negabat Leibnitius dicens: *Fieri non potest, ut duo individua solo numero differentia in hoc mundo exsistant. Recueil de divers. piéc: écrit.* 4. & 5., eamque enunciationem PRINCIPIUM *idemtitatis* INDISCERNIBILIUM appellat, quia si darentur, nullo modo discerni inter se possent (quasi vero ad ea distinguenda non sufficeret *compraesentia* iuxta suam definitionem). In eo tamen Stoicorum sententiam sequutus est Vir eruditissimus, quos Cicero *Acad. quaest. Lib. IV. cap.* 26. sub Luculli persona compellans: *Omnia*, inquit, *dicis sui generis esse, nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem, nec admodum credi-*

dibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum. Haec refelli possunt. Sed pugnare nolo. Propositionem illam Leibnitius, et post eum Bohemius *Cosmol. transc. Cap. I.* §. 530. ita demonstrant. Productionem duorum perfecte similium cum sapientia pugnare divina: nulla namque foret ratio sufficiens, cur unum sit potius in loco A, quam B; alterum vero in loco B, quam A, quum nec in ipsis, nec in locis inveniri possit; adeoque Deus sine ratione sufficiente operaretur. Addit, id experientia confirmari: non enim duo folia in maxima sylva, nec duas aquae guttas microscopio perfecte similia observare quisquam potuit. Huic opinioni litavit etiam Bulffingerus in *dilucid. philos.* Vides hic Leibnitium rationis sufficientis principium ultra fas extendisse, eique Deum ipsum subiicere voluisse, ut supra monuimus (§. 22.). Si vero ibi dicta prae oculis habeantur, illius demonstrationis prima pars evanescet. Ratio namque illa, licet in individuis, vel in locis esse non videatur, erit tamen in liberrima Dei voluntate, qui ineffabili sapientia cuncta creavit, et moderatur. Praeterquam quod non, quia ratio illa nobis est impervia, eam prorsus deesse, dicendum est (§. 23. **). Experientiae porro nulla vis: hic enim de possibilitate, non de exsistentia agitur, eoque modo ratiocinari idem esset, ac a non exsistentia ad impossibilitatem ducere conclusionem, quod fieri nequit (§. 53. *num.* 4.). Easdem inflat tibias Baumeisterus *Metaph.* §. 169., magisque argumentum urgere credit: *Si*, inquit, *darentur duo individua, quorum neutrum ab altero ulla ratione differret, tunc illa duo individua essent unum idemque; adeoque unum idemque bis exsistere fingeretur.* Huic eiusdem Leibnitii respondemus verbis: *Fateor*, ait, *si duae res perfecte indiscernibiles exsisterent, illas fore duas*: *Loc. cit.* §. 26. Baumeisterus itaque aperto peccavit paralogismo: idemtitatem namque specificam cum numerica confudit, quum contra in perfecte similibus, de quibus sermo est, idemtitas specifica, diversitas vero numerica consideretur (§. 86.);

Win-

Winklerus porro *Ontol.* §. 115. Baumeisteri sententiam explicare videtur hoc modo : *Ex perfectae similitudinis notione intelligimus, duo individua, si omnino similia sint, neque possibilitate neque exsistentia inter se differre posse. Ita patet, duorum perfecte similium, si exsistere ea velimus, non nisi unam eamdemque esse posse exsistentiam.* Id vero refellit Boehmius *Cosmol. transc. Cap. I.* §. 530. *not.* 1. *Conceditur*, ait, *ipsam illam ideam, quae uni respondet, respondere etiam alteri: negatur vero unum esse ipsum alterum*. Et recte: nam licet nullum inter duo perfecte similia discrimen agnoscatur, *erit tamen semper in se aliquod, idque ab infinita saltem intelligentia perspici poterit, ipsum nimirum* HOC ESSE, *quod in uno inest, & per quod unum non est alterum*: inquit Storchenau *Ontol.* §. 76. *Schol. num.* 3. Horum quoque vestigia premit Hollmannus, qui quum experientia constare enunciasset, adeo infinitam esse rerum in Mundo varietatem, ut ne duas quidem res solo numero differentes deprehendere liceat, concludit: *Duae ergo, pluresve res, uti dici vulgo solet, numero inter se differentes non dantur; nec, si loci intuitu spectentur, dari possunt. Inst. phil. prim.* §. 255. Verum quidem est, Cl. Virum *loci* vocabulo quaestionem hanc involvere voluisse, suamque de duorum similium impossibilitate opinionem illa restrictione occultasse: at ea non dari, quanam edoctus fuit experientia? Scilicet, ne in subreptionis vitium caderet (§. 130. *Log.*), omnia experimenta in innumerabilibus arenae granulis, aquae guttis, plantarum frondibus, ceterisque rebus, quotquot terra marique reperiuntur, confecta in apertum proferre debuisset: id quod nec fecit; nec si Nestoream aetatem centuplicatam experiundo consumsisset, facere ullo modo potuisset. Contrariam opinionem tuebatur Clarkius, aiebatque, *duo individua solo numero differentia optime dari posse*: in eamque sententiam adductus fuit ex eo, quod nulla sit ratio sufficiens, cur qualitates in uno exsistentes in alio quoque inveniri nequeant; adeoque nulla prorsus ratione contraria opinio fulciatur. Sed Genuensis noster *Metaph.*

Part.

qualitates vero realitates sunt (§. 49.), nec in iis defectus considerantur; realitates autem inter se non pugnant (§. 51.): talis ergo realitatum summa similium unum constituit, ita ut exsistat; adeoque possibilis est (§. 53.). Quum vero nihil obstet, quo minus eadem qualitatum summa in altero reperiatur: nam quod semel possibile est, semper pro tali habendum, ob principii cognoscitivi immutabilitatem (§. 17.): quidni et duo similia solo numero differentia exsistere, vel dari poterunt?

SECTIO II.

De concreto, & abstracto.

94. REm aliquam DETERMINARE idem est, ac *eam ab omni alia re distinguere* *. DETERMINATIONES ergo sunt *eiusmodi adfectiones, quae efficiunt, ut res aliqua praecise ea sit, nec alia* **. DETERMINATVM autem *quidquid ita fixum est, ut de ipso aliquid certo enuncietur;* idest, *cuius oppositum est contradictorium* ***. OMNIMODA tandem DETERMINATIO est *complexus omnium determinationum ens aliquod praecise constituentium, ut de alio ente enunciari nequeat:* quare ens illud erit OMNIMODE DETERMINATVM.

* Vi namque nominis, *determinare* notat rem aliquam terminis, ac limitibus circumscribere. Quum autem limites rei damus, eam ab omnibus aliis rebus distinguimus: patet ergo definitionis integritas. Vocabulum quidem barbariem sapit; sed est usu receptum, adeoque non sine nota recedere ab eo poteramus.

** E.

** E. g. *Spiritus* per id ab aliis rebus distinguitur, quod gaudet intellectu, et voluntate. *Intellectus* ergo, et *voluntas* sunt spiritus determinationes.

*** Idque usu loquendi receptum est. Quum enim hominem ad aliquid determinatum esse dicimus, eum ita alicui rei animo addictum intelligimus, ut oppositum enunciare contradictionem involvat. Ex quo patet, positis determinationibus, poni determinatum, ac proinde illas prius concipi debere. Et quia in omni ente nihil prius essentia concipitur (§. 54. *); ab ipsa vero pendent attributa (§. 59.); sequitur, ut essentia a nemine determinetur; ipsa tamen attributa determinet. His praemissis, ad propositum accedamus.

95. ENS SINGVLARE, sive INDIVIDVVM dicitur *id, quod est omnimode determinatum* * (§. 94.). VNIVERSALE contra vocatur *id, quod est aliquo modo determinatum* **, sive *ens aliquas tantum determinationes continens pluribus rebus communes*. Dicuntur alio nomine, illud CONCRETVM, id est omnimodis conflatum determinationibus; hoc ABSTRACTVM, nempe quod sola abstrahendi arte conficitur (§. 32. *Log.*). Vnde colligitur, ens singulare de uno tantum; universale de pluribus enunciari posse ***.

* Exempla habes in Logica (§. 28. * *Log.*); adeoque hic ab ulteriori illustratione abstinemus.

** Vnde de aliquo ita enunciatur, ut de aliis etiam praedicari possit. In eo igitur aliquae tantum, non omnes reperiuntur determinationes. Ens porro universalem vel GENVS est, vel SPECIES. Illud per similitudinem specierum; hanc per simi-

militudinem individuorum definivimus in Logica (§§. 29. & 30. *Log.*), ubi has ideas formandi artificium distincte invenies. Si plura genera inter se collata aliquid commune habeant, eorum similitudo genus aliud constituit, quod SVPREMVM, vel SVMMVM audit; ipsa vero dicuntur *inferiora*. Exempla coram dabimus.

*** E. g. *Socrates*, in quo omnimodae sunt determinationes, uni Socrati, exclusis aliis, tribui potest. *Homo* contra, utpote aliquas dumtaxat habens (§. 29. *Log.*), non Socrati modo, sed et Platoni, Aristoteli, aliisque omnibus illius ambitu comprehensis attribuitur.

96. Omnimoda determinatio (§. 94.) entis actualis (§. 48.) dicitur a Lockio PRINCIPIVM INDIVIDVATIONIS, a Scholasticis vero HAECCEITAS *. Patet ergo 1. quidquid existit, esse individuum (§. 95. *huius*, & 28. *Log.*); adeoque 2. nihil aliud praeter individuum, existere; proindeque 3. ens universale non haberi, nisi in singularibus (§. 95. **); 4. abstracta nullibi, nisi in concretis, exsistere posse **; 5. quidquid ergo in abstractis inest, in concretis etiam sub eorum extensione comprehensis inesse debere.

** *Homo* quidem exsistit in Socrate, Platone, Aristotele etc.; *Animal* in homine, equo, cane, leone etc. Hinc vides quid dicendum sit de celebri illa inter nominales, et reales Scholasticos agitata controversia: *Num universalia sint res, an pura nomina?* de quibus plura in praelectionibus afferemus.

CA-

CAPVT QVINTVM

De diversis entium speciebus.

97. Postquam omnes, tam generales, quam speciales, sive relativas entis adfectiones ad trutinam revocavimus: ordo postulat, ut entia omnia in varias classes dispescamus. Ea de re de diversis eorum speciebus in sequentibus sectionibus breviter, & quantum instituti ratio exigit, distincte tractabimus.

SECTIO I.

De ente composito, agnatisque notionibus.

98. Plura, quae simul sumta ens aliquod constituunt, eius PARTES dicuntur; ens autem partibus constans TOTVM, vel MVLTIPLEX vocatur *. Hoc autem est vel ESSENTIALE, si partes sine totius destructione auferri nequeant **, vel VNIVERSALE, si ab individuorum specierumve similitudine oriatur ***, vel INTEGRALE, si ex pluribus corporibus sit conflatum, quorum tamen aliquo ablato, totum non tollitur ****.

* Sic *homo* totum est constans ex anima, et corpore; hae vero partes hominis dicuntur: quia simul sumtae totum illud constituunt.

** *Triangulum* est totum essentiale: constat enim tribus lateribus, et totidem angulis, quae

essentiam eius componunt, ut nihil eorum sine trianguli destructione auferri possit. *Homo* quoque totum est essentiale: compositum est enim duabus partibus, anima et corpore simul sumptis, atque ita connexis, ut una ablata ens illud destueretur, nec amplius *homo* anima et corpore constans haberetur. Vnde huiusmodi partes dicuntur *essentiales*.

*** Totius universalis nomine ideae universales (§. 32. *Log.*), genera nempe, et species (§§. 29. 30. *Log.*) intelliguntur, cuius partes sunt species, et individua sub eorum ambitu comprehensa: ut *animal* totum est; *homo*, *equus*, *leo*, partes.

**** Corpus humanum est totum integrale compositum quippe ex capite, trunco, et artubus reliquis, quae vocantur *partes integrantes*, quia si earum aliqua desit, totius essentia non tollitur. Ei opponitur MVTILVM, quod aliqua parte caret. Totum porro est SIMILARE vel HOMOGENEVM, si partes eamdem essentiam habeant, ut *vini dolium*; vel DISSIMILARE, sive HETEROGENEVM, si earum essentia sit diversa, ut *corpus humanum*.

99. PARS ALIQVOTA est, *quae in toto aliquoties, & exacte continetur*, seu *quae aliquoties sumta totum adaequat*; pars ALIQVANTA, *quae non exacte aliquoties in toto comprehenditur*, sive *quae aliquoties accepta toto maior fit, vel minor* *. Totum autem relate ad illam MVLTIPLEX ALIQVOTVM; comparate ad hanc, ALIQVANTVM dicitur. DIMIDIVM tandem est *pars aliquota*, *quae bis accepta totum conficit*, in qua relatione totum vocatur DVPLVM **.

* Sic numeri denarii 2, et 5 sunt partes aliquotae; 3, 4, 6 sunt aliquantae.

** Hoc modo, numeri supradicti dimidium est 5, nam 5 x 2, vel 5 + 5 = 10.

100. Multitudo partium totum aliquod componentium, sive earum summa dicitur MAGNITVDO *; totum vero MAGNVM, cui si partes aliae adhuc addantur, MAIVS; si demantur, MINVS appellatur **. Quum magnitudinem quamlibet ad aliam homogeneam exigimus, eamdem *metimur*, vel *mensuramus*: quare MENSVRA est *magnitudo, ad quam alterius homogeneae ratio exigitur* ***.

* Vocari a Mathematicis solet *quantitas*, ut et totum QVANTVM. Sed de ea vide §. 90. Magnitudo ergo *augeri* potest, partes alias addendo; *minui* vero, illas demendo.

** Vides hic duo entia, unum maius, alterum minus, diversam habere quantitatem, vel magnitudinem: quumque diversitas quantitatis inaequalitas dicatur (§. 91. **); patet duorum inaequalium unum maius, alterum minus esse debere.

*** E. g. Si carbasi magnitudo ad ulnae magnitudinem exigatur, carbasum illam metiri dicimur, adeoque ulna erit illius mensura.

101. Ex quibus definitionibus aperto colligitur 1. totum esse aequale omnibus suis partibus simul sumtis; 2. posito toto, poni debere omnes eius partes, & contra (§. 98.); adeoque 3. totum esse maius qualibet sui parte; 4. esse quoque duplum suo di-

dimidio (§. 99.): unde liquet 5. dimidia eiusdem entis inter se esse aequalia.

102. Ens, quod in plures partes realiter distinctas, ex quarum coagmentatione coaluit, resolvi potest, COMPOSITVM vocantur *; idque EXTENSVM, si earum partium una extra aliam posita sit, licet omnes simul in uno coexistant **. Ens compositum est, vel CONTINVVM, si partes ita coniunctae sint, ut inter eas aliae diversae poni nequeant; vel INTERRVPTVM, si aliae adhuc poni queant ***. Duo entia composita demum, quorum superficies se mutuo tangunt, ita tamen, ut duo maneant, CONTIGVA dicuntur ****.

* Ens compositum proprie est totum aliquod partibus constans a se invicem distinctis, unaquaeque extra aliam positis; ut *mensa*; *domus*: idque compositum REALE, seu PHYSICUM appellatur, in quo distinguitur a composito *logico*, sive *rationis*, in quo plura, licet realiter indistincta, tamquam distincta tamen mente concipiuntur. Vides hinc, a diversa partium combinatione diversa oriri composita, adeoque quodlibet ens compositum per partium combinationem, idest, per compositionis modum in propria classe constitui, id quod in corporibus organicis observari poterit. Quum ergo id, per quod ens in propria classe constituitur, essentia vocetur (§. 54.): liquet, entis compositi essentiam in modo compositionis suarum partium iure meritoque reponi. Et quia compositio isthaec, et combinatio alia atque alia esse potest, ut experientia sensusque communis constanter evincit; id autem, quod in ente quolibet mutabile est, accidens sive modius appellatur (§§. 59. 61.): nullo labore inde colligi potest, entis compositi essentiam in puris accidentibus consistere.

 ** Sic

** Sic *mensa*, *baculus* sunt extensa. Abstracta extensi notio dicitur EXTENSIO, nempe trina entis compositi dimensio in longum, latum, et altum.

*** *Mensa* igitur est compositum continuum: *pumex*, *spongia*, sunt interrupta. Advertas tamen, verum continuum in Natura non dari. Quum enim corpora omnia sint porosa, nempe foraminibus occultis undique praedita, ut experientia docet: entia omnia materialia in mundo strictim interrupta, latiori vero modo continua esse, legitima consequutione colligitur.

**** E. g. duo libri, vel lapides se mutuo tangentes, contigui dicuntur: non enim unum conficiunt extensum, sed duo manent. Patet ergo, contigua non semper esse continua.

103. FIGVRA est *limes extensionis* *. Haec vero pro varietate limitum varia esse potest, adeoque mutationi obnoxia. Ens autem figurae capax FIGVRABILE audit. Et quia figura quaeque ad aliam quamdam magnitudinem homogeneam exigi potest; liquet, eam esse mensurae capacem, nempe COMMENSVRABILEM **. Quodcumque igitur figurabile est, etiam commensurabile dici debet.

* Haec definitio Wolffiana dici non potest, quam apte definitum explicet. Illustrationis loco hoc tantum addimus. Libri huiusce figura est parallelepipeda. Quid aliud, quaeso, hanc figuram efficit, quam defectus ulterioris extensionis, sive eiusdem limes? (§. 49.).

** Quaecumque figura enim vel plana est, vel solida. Si primum: eius extensio superficies est, quam alia superficie metiri possumus, uti in Geo-

Geometria docuimus; vel si eiusdem terminos tantum mensurare velimus, eos ad lineam, tamquam ad lydium lapidem, exigimus, Si secundum: eius longitudo, latitudo, et profunditas superficie quadam, vel linea deteguntur.

104. DIVISIO, ut in Logica diximus (55. *Log.*), est *totius in partes resolutio*. Ea vero actio est (§. 30.) entis compositi partes disiungens, quod proinde actionem illam in se recipiens, eo ipso patitur (§. *eod.*) *. Ens porro divisionis capax DIVISIBILE dicitur; eique capacitas, sive potentia huiusmodi passiva, si ita loqui fas est, DIVISIBILITAS. At quia divisio entis essentiam, nempe compositionem, mutat, idque in purae possibilitatis statum redigit; & ubi non est essentia, ibi nec ens amplius adest (§. 56.): recte colligitur, divisionem perinde, ac quamcumque aliam actionem entis alicuius essentiam immutantem, eiusdem entis probe appellari DESTRVCTIONEM; adeoque quidquid divisibile est, esse quoque DESTRVCTIBILE **.

* Hoc, vellemus, perpendant ii, qui divisibilitatem non modo actionem, sed et vim esse contendunt, ensque compositum in sui divisione agere impudenter adfirmant. Quaenam vero sit horum sententia, quibusve fulcris eam superstruxerint, nec scimus, nec si sciremus, dicere auderemus. Haud pauca namque sensus communis deficientia est, res tam evidentes, vel vulgi ipsius faeci notas, fronte lapidea impugnare: iisque aptari poterit Tetentianum illud *Andr. Prol.*; *Faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant*. Nimirum,

 quum

quum corpus dividitur, alia caussa super illud dividendi actionem exercet: corpus ergo actionem caussae illius in se recipit, adeoque patitur (§. 30.). Ubinam, malum, vis illa, iactataque actio? Sed in re tam perspicua ulterius immorari, est tempus stultissime terere.

** Nam quum talis compositio tale compositum efficiat, ea mutata, ens mutatur, aliudque compositum enascitur. Hac ergo mutatione compositum prius destructum est.

105. Liquet hinc, omne ens compositum es e 1. extensum (§. 102.), 2. magnum, 3. commensurabile (§. 100. 103.), 4. augmenti aeque, ac diminutionis capax (§. 100. *), 5. figurabile (§. 103.), 6. divisibile, Et quia eius essentia in partium combinatione sita est (§. 102. *); ea vero combinatio aliter, atque aliter esse, & semel facta destrui potest: sequitur 7. ens compositum esse destructibile (§. 104.).

106. Si duo, vel plura entia eiusmodi sint, ut uno existente, alterum simul existat, ea dicuntur SIMVLTANEA; si uno desinente, alterum exsistere incipiat, SVCCESSIVA vocantur *.

* E. g. Libri in bibliotheca sunt entia simultanea; anni, dies, horae, sunt successiva.

107. Ordo (§. 71.), qui in rebus simultaneis (§. 106.) observatur, SPATIVM*; qui in simultaneis quidem, sed interruptis (§. 102.), SITVS; qui in successivis, TEM-

TEMPVS appellatur ** . Modus exsistendi simul cum ceteris LOCVS *** dicitur . INSTANS denique est *quidquid successione caret, estque temporis expers* **** .

* De spatii notione magna fuit inter Newtonianos: et Leibnitianos decertatio . Illi spatium vocabant extensionem universi , in quo corpora ponuntur, liberequc moventur , de quo Musschembroekius *Elem. Phys. Tom. I. cap.* 3. §. 73. *seqq.* haec habet : *Si sex superficies terminantes* , ait , *cogitentur a se removeri usque in infinitum , acquiritur idea spatii immensi : deletisque ex conceptu superficiebus, formatur idea spatii interminati , et magnitudine absolute infiniti . Spatium hoc modo conceptum est* 1. *vacuum omni corpore* , 2. *penetrabile* , 3. *homogeneum* , 4. *unum* , 5. *continuum* , 6. *indivisibile* , 7. *interminatum* , 8. *immobile* , 9. *immutabile &c.* Hoc autem spatium potius imaginarium, quam reale dixeris , licet cum vulgi opinione consentiat, unde effatum illud, *corpora implere spatium* . Wolffius post Leibnitium per spatium reale intelligit ordinem , qui observatur in modo , quo plura entia sibi invicem coexsistunt , eaque notio magis arridet . Exemplo res fiet clarior . In bibliotheca plura volumina simul exsistunt ita , ut distantia inter primum , et secundum diversa sit a distantia inter hoc et tertium , et sic porro . Ordo hic , quo plura illa volumina simul exsistunt , est id , quod SPATIUM appellamus . Non hic examini subiicere, aut decernere volumus : deturne in rerum natura spatium omni corpore vacuum , an non ? eam enim quaestionem Physicis omnino reliquimus : sed id tantum disquirere est animus , quodnam revera sit , quod spatii notionem in nobis gignit ? Id vero in simultaneorum ordine inveniri , haud mora attendenti patebit .

** Vt temporis definitionem intelligere possis , ad ea , quae sibi invicem succedunt , attende. Quidquid actu exsistit , PRAESENS dicitur : hoc

autem antea non exsistebat, et in statu purae possibilitatis erat ens FVTVRVM (§.48.): postmodum idem, succedentibus aliis, in statu purae possibilitatis redibit, et tunc PRAETERITUM vocabitur. In hac successione, modoque sibi invicem succedendi *ordo* observatur, isque *tempus* appellatur. Ut adeo tempus locum non habeat, ubi non adest successio rerum, supponatque earum mutabilitatem. Hinc vides, positis simultaneis, et successivis, poni spatium, et tempus, iis vero ablatis, haec etiam auferri; adeoque spatii, ac temporis notiones esse relativas, atque a rebus ipsis simultaneis, et successivis valde differre, nec earum rationem aliquam sufficientem continere posse, ac proinde nihil in interiore earum natura mutare. Quidquid vero de spatio dictum est, id de loco adsertum intelligatur, ut quae inferius dicenda erunt, nulla obscuritate laborent.

*** Observa hanc periodum in pagina, Habet superiores aeque, ac inferiores alias periodos a se diversas: hinc atque illinc margine coarctatur. Modus hic coexsistendi, hoc est, exsistendi simul cum ceteris, *locus* dicitur.

**** Proprie quidem et metaphysice loquendo, solum instans praesentis nomine donari meretur, eoque tempus destitui deberet. Si namque rem attente, remotisque sensuum illusionibus considerare velimus, videbimus, quidquid successivum nobis praesens obversatur, non esse tale, nisi exiguo temporis momento, revera tamen aut praeteritum, aut futurum. Ut veritas haec probe dignoscatur, audi loquentem, cuius verba, ipsis fatuis fatentibus, successiva sunt, quia sibi invicem succedentia ex ore exeunt. Ea quidem antequam proferantur, futura sunt; prolata vero, iam praeterita. Quaenam autem praesentia dici poterunt? Sane nullum. Vix enim verbum audiens, idque praesens esse adfirmans, praeteritum habes. Non abs re igitur adfirmari poterit, tempus esse ordinem successivorum nullam, nisi praeteriti futurique, ideam exhibens; instans vero praesens, nul-

nullo praeterito, aut futuro permixtum. Vides hinc, entia successiva proprio nomine possibilia dici debere, eorumque exsistentiam esse admodum momentaneam et insensibilem, ut tuto negligi possit: vel enim sunt adhuc in statu purae possibilitatis, quia futura, vel in eumdem statim reciderunt, suntque praeterita. Illud autem ens tantum, in quo instans invenitur, est vere exsistens, quia illi tantum praesens convenit, in eoque non iam possibilitas, sed exsistentia vera, realis, omnibusque numeris absoluta conspicitur. Hae ideae iis, qui metaphysicas lautitias pleniore haustu epotant, clarae sunt, ac distinctae; quibus vero levius gustare, crassamque, ut aiunt, superficiem bibere mos est, obscurae, et confusae. Nos tamen sapientum solidorumque, non superficiariorum, iudicium aestimamus, Auditoresque nostros ad sapientiam magno conatu manuducere contendimus.

108. DVRATIO est *eiusdem entis coexsistentia pluribus successivis**; AETERNITAS vero *instans principio, & fine carens***. Ex quo patet, sicut instans successivo; ita aeternitatem tempori opponi, & esse contradictoria (§. 87.).

* Sic lampadem accensam *durare* dicimus, quum pluribus horis coexsistit, eius nempe lumen perseverat.

** Et sane: si in aeternitate successio daretur, tempus, non aeternitas esset, quod est absurdum (§. 15.). Eam Scholastici vocant aeternitatem *a parte ante*, et *a parte post*. Successio quidem series est, quae absque principio concipi nequit (§. 26. *num.* 5.). Si ergo aeternitas successionem haberet, non esset sine principio; adeoque esset aeternitas, et non esset: quod est impossibile (§. 15.). At, inquies, aeternitatis ideam in mente nulla prorsus ratione concipere

possum. Id quidem non diffitemur: nam mens humana successioni quotidie adsueta nullam instantis, aeternitatisve notionem efformare potest. Non hinc autem inferre licet, definitionem nostram locum non habere, aeternitatem vero cum successione simul stare posse. Quum enim aeternitati successio contradictorie opponatur, ut dictum est: aeterna successio, vel aeternitas successiva impossibilis est, rectaeque rationi contraria; adeoque vera aeternitatis notio conficietur, eam ut instans omni temporis parte formaque carens concipiendo. Et hoc observandum, ut quae de hoc Dei attributo in Theologia naturali disputantur, resolvi queant.

109. MOTUS est *entis ab uno in alium locum translatio*; QUIES contra dicitur *perseverantia entis in eodem loco*. Quidquid autem de loco in locum transferri potest, MOBILE audit *; INERS vero, *quod ad motum aeque, ac quietem est indifferens*: INDIFFERENTIA namque est *impotentia statum suum propria virtute mutandi*.

* Perspicua haec sunt, et cuivis obvia. Moveri quidem dicimur, si de uno in alium locum transeamus; quiescere, si in eodem loco maneamus. Motus ergo fit in tempore, estque ens successivum (§. 106.), nec ullum a loco potest habere impedimentum (§. 107. **). Ut autem theoria motus vera sit, et rerum naturae conveniens, notandum est, motum duplici ratione considerari posse, concreta nempe, et abstracta. Priori modo est mobilis ab uno in aliud spatii punctum per puncta intermedia translatio, ut Physicorum vocabulis utamur: si namque corpus aliquando moveri dicimus, id ab uno in alium locum transferri intelligimus; in eo vero motum concreto accipimus, quia ad mobile ita refertur, ut sine illo concipi nequeat. Posteriori autem mo-

modo consideratus motus est *vis quaedam mobili impressa, quae id ab uno in alium locum transire cogit*: caussa namque, in qua ratio sufficiens translationis hujusce continetur, est vis mobili a caussa impellente impressa, sine qua nulla actio motusve haberetur. Id quod ad conciliandas Physicorum opiniones admodum confert.

110. Ex dictis haud difficulter infertur 8. quodlibet ens compositum esse in loco, atque spatio, adeoque 9. ex uno in alium locum transferri posse, 10. & esse mobile (§. 109.). Quumque entis compositi essentia sit purum accidens (§. 102.*)): vis autem motrix, utpote potentiae movendi exercitium, accidenti inhaerere non possit, subiectum quippe inhaesionis pro fulcro requirens (§. 59.): consequens est 11. ut ens compositum sit ad motum aeque, ac quietem indifferens, ac proinde iners* (§.109.).

* Idque experientia confirmatur. Observamus enim, entia quaecumque composita moveri, si a caussa externa urgeantur; quiescere vero, nisi ab alio impellantur. Entis itaque compositi status naturalis est quies, nempe privatio motus; quum autem in motu a caussa impellente positum fuerit, in statu non naturali, sive violento versabitur. Vides hinc rursus, materiam ab inertia reddi pure passivam, quippe quae ab alio, non a semetipsa, mutationem quamlibet in se recipit.

111. Rursus, quotidiana experientia edocemur, nullam in ente composito fieri posse mutationem, nisi per partium vel additionem, vel detractionem, vel denique translationem ab una in aliam compositi

partem. Haec autem omnia solo motu conficiuntur, nec alius usquam modus superest ad id exsequendum. Liquet ergo 12. quamcumque in ente composito mutationem fieri debere per motum *.

* Propositio haec maximi momenti est, eiusque usus in Phychologia patebit, ubi animae simplicitatem a Materialiastarum imputatione vindicabimus.

112. Quoniam autem ens compositum est iners (§. 110.), hoc est, ad motum aeque, ac quietem indifferens (§. 109.): sequitur 13. ut illud sibimet motum imprimere nequeat, atque adeo 14. nec a quiete ad motum, neque ab hoc illam suapte vi transire possit; sed 15. ut moveatur, ab alia caussa a se diversa impelli debeat *. Quumque mutatio quaevis in ente composito non, nisi per motum, fieri queat (§. 111.); colligitur 16. ens compositum nullum mutationum suarum principium in se habere, 17. in iis autem ab alio ente a se diverso pendere, 18. & esse pure passivum (§. 30.).

* Motus ergo rationem suam extra entis compositi essentiam habet, ideoque est accidens, seu modus (§. 59.); eius vero possibilitas, sive capacitas huius modi, quae MOBILITAS appellatur, est attributum (§. 62.). Hinc inter mobilitatem et motum idem interest, ac inter potentiam, et actum. Turpissime igitur alucinantur Lucretius *de Nat. rer. III. v. 31. seqq.* Tolandus *ep. 3. ad Serenam*, et qui temerario plagii crimine Lucretii manes iam in oblivionem missos ab

in-

inferis revocavit, Auctor libelli *Système de la Nature Part. I. chap. 2.*, dum motum esse, aiunt, materiae attributum essentiale: id quod in Cosmologia distinctius disquiremus.

SECTIO II.

De ente simplici, ceterisque cum eo connexis.

113. ENti composito opponitur SIMPLEX, illud scilicet, *quod partibus caret, adeoque in illas resolvi nequit* *. Ens simplex porro est, vel PHYSICUM, sive *materiale*; vel METAPHYSICUM, seu *immateriale*. Illud dicitur *materiae particula tenuissima, iners, et impenetrabilis* **; hoc vero *ens omnis expers materiae, quod nec sensibus percipi, nec locum occupare potest*. Primum in extensorum compositione locum habet; alterum, quum nullo modo alteri adhaerere possit, in entium compositionem ingredi nequit ***.

* Definitio haec licet negativis expressa terminis, indefinita tamen non est, quia ens compositum, et simplex contradictoria sunt, atque adeo uno excluso, alterum includitur (§. 87.). Cave tamen tibi persuadeas, ens simplex quia partibus caret, non exsistere, aut simplicitatem hanc defectum esse: nam si ita ratiocinaberis, toto coelo falleris. Compositio quidem defectus est, entisque impotentiam indicat: simplicitas ergo realitas et perfectio erit. Et ut simplicium exsistentiam concipere queas, cogitationibus volitionibusque tuis parumper attende; quumque eas nihil compositionis habere convictus fueris, im-

in re vero exsistere deprehenderis, eodem modo et alia simplicia exsistere, legitima consequutione deduces.

** Simplicem appellando quamvis materiae particulam tenuissimam, vulgarem sequuti sumus opinionem, quae simplex esse dicit quidquid humana opera, et instrumentis in partes resolvi nequit. Non equidem inficiamur, quodcumque corporis elementum, quamvis exilissimum et paene insensibile, licet simplex nobis videatur, in se tamen esse compositum, et extensum: alias enim atomus Epicuraea, vel punctum materiae Boscovichianum, nullam soliditatem, nullam superficiem, figuramque habere posset, adeoque materiale non esset: quia tamen compositio illa interna tantum est, nostrisque sensibus, ne dicamus mentibus, impervia; simplicitatem ei tribuimus physicam, ut huiusmodi simplex opponamus MIXTO, atque in eo substantiam corpoream constituamus. Nec prodest, quod recentiores huiusmodi mixta intellectu resolvi debere praedicent, ut ad simplicissima principia perveniatur: nam quum in Philosophia principiis certis atque indubiis adserta quaeque superstrui debeant (§. 5. *Log.*); quae idealibus tantum nituntur basibus, nullam certitudinem aut evidentiam habere poterunt. Contra vero experientia quaevis corpuscula, utut exilia, composita semper ostendens, nos in hac opinione reddit securiores: ut nulla prorsus necessitas urgeat in intima creationis penetralia ingredi, resque tam implicatas ac paene in intelligibiles examini subiicere velle. Hoc autem simplex esse impenetrabile debet: alias enim quotquot harum particularum simul coacervarentur, nec minimam quidem extensi partem conficere possent. Iners quoque sit oportet: nam alias, vel in motu perpetuo constritutum esset, vel immobile. Si primum, locum perpetuo mutaret; adeoque numquam quiescens alteri adhaerere non posset; si alterum, nullo modo locum semel occupatum relinqueret, nullaque cohaesio, vel compositio adesset, nec ex plu-

plurium immobilium coalescentia compositum iners umquam haberetur.

*** Et quidem, quum ens simplex metaphysice acceptum nihil materiale habeat, adeoque penetrabile sit, inextensum, figurae simul, et inertiae expers, numquam poterit in reali entium compositione locum habere, quum nemo dare possit quod non habet; adeoque nequit e plurium immaterialium unione aliquid materiale confici. Falluntur ergo, qui entia composita ex simplicium metaphysicorum multitudine coalescere autumant, nisi forte cum Zenone, vel Stratone phantasmata pro rebus obtrudi velint. Etenim simplicia illa entia, vel sunt materialia, vel immaterialia: si illud, essent etiam extensa, solida, inertia, figurata; adeoque composita simul, et simplicia, quod repugnat; sin hoc, tunc ex plurium immaterialium complexu aliquid materiale conficeretur, ac proinde partes illae una erunt immateriales ex hypothesi, materiales autem, quia materiae partes, quod est impossibile. Entia igitur metaphysice simplicia in compositionem ingredi nullo modo possunt. Ex quo patet, quid sentiendum sit de monadibus Pythagoraeis, vel Leibnitianis, de atomis Democriticis, et unitatibus Wolfianis, de quibus in Cosmologia erit dicendi locus.

114. Colligitur inde 1. ens simplex metaphysice sumtum non esse extensum, nec figurabile, aut divisibile, 2. nullam in eo concipi posse magnitudinem; adeoque 3. ens simplex esse composito contradictorie oppositum. Hinc 4. quaecumque de ente composito superius dicta sunt, contraria ratione de simplici enunciari debent *.

* Nempe, quum ens compositum sit impenetrabile, utpote quod habet partes extra se invicem positas (§. 102.), iners (§. 110.), divisi-

bi-

bile (§. 105.), figurabile (§. 104.), commensurabile (§. *eod.*), destructibile (§. 105.), locum, et spatium occupet (§. 110.) : ens simplex est penetrabile, activum, indivisibile, nulla prorsus figura praeditum, incommensurabile, indestructibile, nec ullum occupat locum, vel spatium. Unde ens compositum sensibus, sive nudis, sive armatis percipi potest; simplex non potest.

115. Ens ORITVR, quando exsistere incipit: idem INTERIT, quando exsistere desinit. ORTVS ergo est *exsistentiae principium*; INTERITVS vero *eiusdem finis*. Productio entis ex nihilo CREATIO* dicitur; eius vero reductio ad nihilum, nempe totalis eiusdem destructio, ANNIHILATIO **. Ens denique res ex nihilo producens, CREATOR appellatur.

* *Ex nihilo* diximus, scilicet nulla praeexsistente materiali caussa (§. 42.). Hanc expressionem attente observari volumus, ne pro ea usurpet quis *a nihilo*, quo notatur deficientia caussae efficientis: tunc enim in plurimos errores lapsus foret. Nam quum nihil sit sine ratione sufficiente (§. 22.), nihil etiam esse potest sine caussa effectrice, quae rationem illam contineat in actione sua (§. 25.), adeoque ens quodcumque necessario ortum suum alicui caussae efficienti debebit. Et ideo excipitur Ens necessarium, quia aeternum exsistens, nullus umquam in eo concipi potest ortus. Productio igitur entis *ex nihilo* ea est, qua ens illud, nulla prorsus praeexsistente materia a statu possibilitatis ad exsistentiam perducitur, in eoque vim infinitam dumtaxat exerceri posse, suo loco docebimus.

** Annihilatio ergo supponit universalem entis destructionem, ita ut nihil post eius interitum supersit, quod vel pars, vel modus, vel aliud,

aliud quodlibet ei competens dici possit, et ut status entis post annihilationem idem sit, ac prius fuerat ante creationem, nempe status purae possibilitatis.

116. Quum igitur ex ente composito aliquid oriri possit per partium compositionem, divisionem, vel mutationem (§. 111.); in his autem casibus aliud compositum semper oriatur *, non vero simplex: patet 5. ens simplex ex ente composito oriri non posse.

* In primo namque casu maius; in altero minus; in tertio aliud compositum orietur. Sed per divisionem, inquies, ad simplicia pervenitur. At praeterquam quod eiusmodi simplicia materialia sunt entia vere composita (§. 113. **); posito tamen, quod vere simplicia sint, nequidem oriri dicerentur: nam ens *oriri* significat, exsistentiam, quam antea non habebat, accipere; illa vero simplicia prius exstitisse ponuntur in composito, posteaque exsistentiam suam continuare.

117. Quia vero, ut aliquid ex alio oriatur, debet ab eo seiungi, et aliquid participare; ab ente vero simplici, utpote partium experte (§. 113.), nihil omnino separari potest: liquet 6. ens simplex non posse ex alio ente simplici, tamquam caussa materiali, oriri; attamen 7. ab eo, ut caussa efficiente, ad exsistentiam perduci posse. Et quoniam praeter ens, sive simplex sit, sive compositum, non aliud superest, quam nihil (§. 48.): evidens est ens 8. simplex, si oriri debet, ex nihilo producendum esse; quae productio quum crea-

creatio dicatur (§. 115.), infertur 9. ens simplex oriri non posse, nisi per creationem, nulla temporis successione intercedente, sed in instanti *.

* Nimirum nullam in entium simplicium ortu successionem concipere possumus, successio namque locum habet, si aliae atque aliae partes vel addi, vel demi, vel mutari deberent: id quod in ente simplici concipi nequit (§. 116.). Ablata successione remanet instans (§. 107.). Igitur in instanti suam accipere debet exsistentiam. Immo vero, quum de creatione loquimur, etiamsi ens creatum sit compositum, haec actio in instanti concipi debet: infra namque docebimus, creationem a solo ente necessario fieri posse, quod infinita potentia praeditum, solo et simplici voluntatis suae nutu quibusque rebus exsistentiam largitur.

118. Rursus, quia ens simplex partibus omnino caret (§. 113.); quidquid autem partibus constans non est, in partes resolvi nequit, estque indivisibile (§. 104.), atque adeo destructionis incapax (§. eod.); consequens est 10. ut ens simplex sit indestructibile. Si ergo 11. in purae possibilitatis statum redigi velit, annihilari debet, hoc est omnino destrui (§. 115.). Et quia ens aliquod ad nihilum reducere idem est, ac agere, ut ab exsistentia ad puram possibilitatem, nulla remanente materia, transeat (§. eod. **); in eo vero eadem vis creatrix exigitur, ut attendenti patet: colligitur 12. ut idem Creator annihilandi potentia solus polleat *.

* Ea-

* Eadem enim potentia requiritur, ut ens exsistens omnino destruatur, ac ut non exsistens, nisi inter pure possibilia, exsistat. Idem ergo, qui creare potest, ad nihilum redigendi potestatem habet.

119. Quoniam autem caussae creatae agunt (§. 31. *seqq.*), vim activam iis inesse, certum est (§. 35.); ea vero vis in ente composito locum habere non potest, est enim iners (§. 110.), ac proinde impotens statum suum propria virtute mutandi (§. 106.); unde quicumque modi debent ei a caussa externa communicari (§. 112.); excluso tamen composito remanet simplex (§. 113. *): evidens ergo est 13. ens simplex vi activa praeditum esse. Quumque vis illa, vel in cogitando, et volendo, vel in corpus movendo se exserere possit (*per exper.*): infertur 14. enti simplici tantum vim cogitandi (in qua vis volendi includitur), corpusque movendi competere, 15. nec illarum ullam enti composito tribui posse: ac proinde 16. ens simplex iure *ens activum* appellari *.

* Hinc variae simplicium metaphysicorum, sive immaterialium, classes, quot gradus vis illa habet, enatae sunt. Quibusdam vis tantum motrix; aliis etiam vis cogitandi imperfecta; aliquibus perfecta quidem, sed illorum naturae adcommodata, uni soli omnes illae vires nullis sunt obstrictae limitibus: unde entia illa FINITA; hoc vero INFINITUM, appellantur, quia in illis vis finita est; in hoc infinita. Vis ergo motrix, quam in corporibus Physici reponunt, non est

est vis elementis insita vel essentialis, utpote simplicibus, sed cum iis ab aliquo ente simplici per actionem suam communicata; adeoque motus ille est materiae a caussa externa impressus, non vero naturali, ac propria vi in ea productus. Inde ergo est, ut id intersit inter ens simplex, et materiam, quod illud proprie agat, haec patiatur, non quod materia actionis omnino sit incapax, ut quidam nobis adserta nostra parum attente legentes olim exprobrabant; sed quia, nisi ante patiatur, nullam actionem exercere potest. Quibus sedulo perpensis, quisnam erit adeo rationis expers, qui materiam viribus insitis, non vero participatis, agentem adfirmare ausit? Quumque haec ita sint, experientiaque clariora fiant: nulli dubium superesse potest, materiam antea pati, dum vires a caussa aliqua externa participat, postea vero agere dum viribus ab illa acceptis mutationem in alio producit. Obiici tamen ab aliquo poterit, in igne vim activam inesse natura; unde elementum activum vulgo dicitur. Sed in promptu est responsio. Ignis materia est subtilissima, et mobilissima, ut quam minima impressione, vel motu agat: sed motum illum, vel impressionem a caussa externa accipere debet. Si ignis esset vi activa praeditus, quia posita vi, ponitur actio (§ 30.), semper agere deberet, nec posset non agere. At contrarium experientia evincit: videmus enim ignis vim se non exserere, nisi vel luce concentrica, vel attritu, vel corporum combustorum adhaesione, addito (quidquid hic agat) aere: in quibus omnibus actionem caussae externae observamus. Nec obstat, quod aiunt, parvulam saepe scintillae vim magnum incendii motum excitare. Si namque Pyrologiae principia rite, experientia duce, perpendantur: videbimus, scintillam hanc alii latenti adhaerentem motum imprimere, motum vero suum non amittere, partim quia elasticitatis ope tantundem adquirit, partim etiam quia continuo aeris adiacentis impulsu urgetur, quo vires augentur. Idem dicendum de viribus quibuscumque corporibus tributis, quorum analysin, ne institutionum cancellos prae-
te-

tereamus, in ipsis praelectionibus conficiemus,

120. Magnitudo virium activarum in ente simplici dicitur INTENSITAS, vel *intensio*, huius vero limites GRADVS dicuntur. Quare quae in ente composito *partes* audiunt, in simplicium viribus *graduum* nomine veniunt.

121. SVBSTANTIA * est *subiectum illud, de quo aliquid enunciari quoquo modo potest, quodque adfectiones illas veluti sustinens, ipsum de alio enunciari nequit* **. Ea est vel INCREATA, si a se exsistat (§. 58.); vel CREATA, si exsistentiam suam ab alio acceperit (§. *eod.*). ACCIDENS vero est ens, *quod exsistit in alio, tamquam in subiecto, ac de illo enunciari potest* ***. Modus tandem, quo accidentia substantiae veluti inhaerent, ut sine ea concipi nequeant, aut ab ea seiungi, MODIFICATIO audit.

* Eam ita definimus, ut in genere ad omnes substantias definitio haec adplicari possit, nec ulla difficultate, aut vitio laboret. *Substantia* namque *a subsistendo* dicta, subiectum inhaesionis omnium entis adfectionum notat, quod a nullo fulciatur, ipsum tamen earum sit veluti fulcrum. *Veluti* diximus: nam licet in substantiis creatis verum inveniatur, in simplicissima tamen divina substantia, quae nullis accidentibus, aut attributis a se distinctis est onerata, locum habere nequit. Vides ergo, hanc definitionem eamdem esse cum illa Scholasticorum, per quam substantia esse dicitur *ens per se subsistens*, quam tamen ideo reiecimus, ut clariori vocis explicatione viam Spinozistis occludamus insanias suas vocibus vagis oc-

occultandi, ut mox adparebit. Nec aliud indicat negativa illa substantiae definitio ab illustri Scholasticae philosophiae Professore Hebenstreit exposita, eam nempe esse *ens*, *quod non exsistit in alio*, *tamquam in subiecto*, quam in prima editione sequuti sumus; sed ideo mutavimus, ne tironum animos meditationi non adhuc adsuetos difficultatibus implicaremus. Wolffius substantiam definivit per *subiectum perdurabile*, & *modificabile*. *Ontol. lat.* §. 768. Sed quia haec definitio solas substantias creatas comprehendit; substantia namque increata nullo modo modificabilis est, ut ipse fatetur *ibid.* §. 847.: incompleta censeri debet. Nec minus probanda est illa Leibnitii, qui substantiam esse, ait, *ens vi agendi praeditum*. Vid. *Act. Erud. ann.* 1694. *p.* 100. Hanschius *princ. phil. Leibnit. mor. geom. demonstr. p.* 31.: ea enim non definitio, sed theorema est ex suo *monadum* systemate originem ducens, quod multa opus habet demonstratione, ut ab alienis obiectionibus vindicari queat. Qui substantiam velut receptaculum omnium entis adfectionum (§. 59.) concipiunt, ii phantasmata pro ideis venditant, et occasionem Lockio porrigunt de idearum huiusmodi obscuritate conquerendi. Qui vero ad eam vitandam, longiorem texunt definitionem, substantiae ideam implicant, et saltem in Deo actum, et potentiam admittere cogunt, ut coram dicemus.

** Benedictus Spinoza, Iudaeus Amstelodami natus, postquam Iudaicam sectam eierasset, ac Protestantismum professus esset, tandem pro coronide in atheismum lapsus, cum undequaque promovit: qua de re primo scripsit *tractatum theologico-politicum de libertate philosophandi*, deinde *Ethicam geometrico ordine demonstratam*, et quasdam *epistolas*, *responsiones*, aliaque opera, in quibus incredulitatem suam ubique ostentat. Absurdae illius doctrinae summa haec est: *Vnicam tantum substantiam existere*, *eamque infinitam infinitis praeditam attributis*, *quorum primaria sunt infinita cogitatio*, & *extensio*: *hanc unicam substantiam esse Deum*, *indistinctam*, & *immanentem naturae caus-*

caussam : entia finita ex necessariis illorum attributorum modificationibus oriri : itaque animas infinitae cogitationis ; corpora infinitae extensionis esse modificationes. Legem vero Naturae fatique, intimam, aeternam, stabilemque Divinae substatiae essentiam penetrare, omnesque variabiles superficiei figuras producere. Hinc famosum hocce delirium PANTHEISMI nomen obtinuit a *παν omne*, et *Θεος Deus*, quia omnia entia divinae substantiae modificationes esse contendit, cuius singulas partes suis quasque locis confutandas adservamus, ut omnes eius absurditates undequaque patescant. Totum tamen Spinozae systema quatuor sequentibus propositionibus, tamquam fundamento superstructum est : praecipuum vero eius fulcrum est famosa illa *substantiae* definitio, cuius si debitum examen tot Philosophi fecissent, nec ulterius oneris sustinuissent, nec opera tam cruda tot, tantisque confutationibus praedicassent. Propositionum series haec est *Ethic. Part. I.*

Definitio 3. Per substatiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur : hoc est id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.

Propositio 2. Duae substantiae diversa attributa habentes nihil inter se commune habent. Demonstratio. Patet ex def. 3. Unaquaeque enim in se debet esse, & per se concipi ; sive conceptus unius alterius conceptum non involvit. Q. e. d.

Prop. 6. Una substantia non potest produci ab alia substantia. Dem. In rerum natura non possunt dari duae substantiae eiusdem attributi (per prop. 5.) : *hoc est* (per prop. 2.) *quae aliquid commune habent. Adeoque* (per def. 3.) *una alterius caussa esse nequit. Q. e. d.*

Corollarium. Hinc sequitur, substantiam ab alio produci non posse. Dem. Nam si substantia ab alio posset produci, eius cognitio a cognitione suae caussae deberet pendere (per ax. 4.), *adeoque* (per def. 3.) *non esset substantia. Q. e. d.*

Prop. 7. Ad naturam substantiae pertinet exsistere. Dem. Substantia non potest produci ab alio (per prop. praec.) : *erit itaque caussa sui, idest*

(per

(per def. 1.) *ipsius essentia involvit necessario exsistentiam, sive ad eius naturam pertinet exsistere. Q. e. d.*

Vides hic, integram substantiae definitionem contra Logicae regulas (§.51. *Log.*) aperto peccasse, quia terminis vagis, et aequivocis est involuta. Et quidem illa dum sensuplicem ubique continet, 1. substantiam exsistere *a se*, exclusa quacumque caussa, a qua producatur; 2. substanciam *per se* exsistere, excluso quolibet subiecto, cui inhaereat. Primus sensus falsus est, ideoque reiiciendus: alter contra verus est; sed nihil Pantheismo fert adiumenti. Spinoza tamen definitionem suam in primo sensu usurpavit, idque ex *coroll. prop. 6.* clare patet; in quo ait, *substantiam ab alio produci non posse*. Eam ergo in 7. propositione demonstrat, ubi substantiam necessario exsistere pronunciat. At hic duo circulos, sive principii, ut aiunt, petitiones irrepsisse, quis non videt? Quum enim definitionis 3. demonstratio in 7. propositione contineatur; haec autem per corollarium propositionis 6. probata sit, et hoc per ipsam definitionem 3., habes hic primum circulum. Ubi vero coroll. prop. 6. per propositionem 6.; hanc per prop. 2.; et hanc iterum per eamdem definitionem 3. demonstrat, alter circulus irrepsit. Lapso ergo miserabili Pantheismi fulcro, totum corruere systema illi modo negabunt, qui furentes, et amore novitatis insani, tribus illis litteris puncto notatis Q. E. D., tamquam Circaeo poculo, inebriati, cuncta Euclidaeo rigore demonstari credunt, in quibus geometricam tantum superficiem observant, et in tanto litterarum fulgore, velut umbrae, volitantes, nomen Spinozae dederunt, sensuique communi valedixerunt.

** *In alio* vero, *tamquam in subiecto, exsistere* dicitur quidquid in alio ente revera et actu inest, eius tamen pars, aut essentiale non est. Vides ergo, latius hic patere vocabulum *accidentis*, ac alibi usurpavimus (§. 59.); adeoque non modos tantum, sed et ipsa attributa comprehen-

de-

dere. Uno verbo, quidquid substantia non est, generali *accidentis* nomine venit.

122. Substantiarum porro creatarum aliae sunt MATERIALES, quae extensione, impenetrabilitate, ac inertia praedita sunt; ac proinde κατ' ἐξοχὴν MATERIA vocantur; aliae IMMATERIALES, sive *simplices*, quae vi activa gaudent * (§. 119.). Immateriales deinde in *spiritus*, & *animas brutorum* dispescuntur. SPIRITUS est *substantia intellectu, & voluntate praedita;* ANIMA BRUTORUM est *substantia sensu & appetitu instructa* **.

* Substantiarum ergo materialium modificationes sunt varii exsistendi modi, partium combinationes, mutationes, figurae, motus, variique situs, aspectus, vel status, in quibus corpora reperiri possunt. Modificationes contra substantiarum immaterialium sunt varii agendi modi, variaque accidentia, quae sine iisdem substantiis, velut subiectis inhaesionis, concipi nequeunt.

** Partitio haec alicui gratuita videri poterit: nullibi namque hactenus demonstravimus, brutis animam inesse, eamque immaterialem. Suo tamen loco in Psycologia ostendemus, bruta non esse pura αυτομaτα, ut Cartesius aiebat, nec principium materiale activum habere posse, ut Peripateticis placuit; sed anima immateriali praedita esse ab anima humana prorsus diversa: ut ita non spiritus, sed ens simplex inferioris ordinis, adpellanda sit.

123. Substantia omnimode determinata, sive individualis, dici solet PRIMA, & *incommunicabilis*, quia pluribus competere

nequit; quae vero aliquo tantum modo determinata est, SECVNDA, vel universalis, eaque *communicabilis*, quia pluribus competere potest *. Rursus substantia est, vel COMPLETA, si ad constituendam tertiam substantiam non sit ordinata; vel INCOMPLETA, si ad id ordinata sit **.

* Individua ergo sunt substantiae primae; genera et species sunt secundae.

** Hoc modo *Angelus* est substantia completa, quia ad tertium efformandum non est ordinatus. *Anima* vero *hominis* est incompleta: ad informandum enim corpus organicum est ordinata, et constituendum cum eo ens tertium, nempe *hominem*.

124. Substantia prima, incommunicabilis, & completa (§. 123.) vocatur SVPPOSITVM *; quod si fuerit intelligens, nempe facultate gaudeat res distincte percipiendi, PERSONA dicitur **.

* E. g. Hic liber, quem manu tenes, est suppositum: est enim individuum incommunicabile, et completum (§. 123. *). Modus, quo suppositum in eo exsistendi statu constituitur, graece υποστασις, a Scholis *suppositalitas*, vel *subsistentia*, appellatur.

** Anima ergo hominis non est persona, quia completa non est (§. 123. **): *homo* tamen quilibet persona dicitur. Observes hic, *personam* ens esse metaphysice unum, licet e pluribus substantiis simul unitis coaluerit: *homo* namque, licet anima et corpore simul constet, una tamen persona est. Hac ergo ratione homo, quem Verbum divinum adsumsit, licet naturam humanam integram

gram exhiberet, incompleta substantia tamen erat: ad constituendum enim Iesum Christum, nempe tertium ens ex Verbo et homine exurgens, fuerat ordinatus. Licet itaque duae naturae, divina et humana, in Christo uniantur, unum tamen ens, una persona Christus est. Id quod ad confutanda Haereticorum deliramenta sedulo notandum.

125. Quum ergo substantia subiectum sit, nec exsistat in alio, tamquam in subiecto (§. 121. *), atque in eo accidenti opponatur: evidens est 1. substantiam, et essentiam realiter distincta non esse, atque adeo 2. substantiae ideam esse admodum abstractam, 3. substantiarum tamen notiones in nobis esse confusas: nam in iis nihil, nisi accidentia, observamus. Et quia entis compositi essentia puris constat accidentibus (§. 102. *): liquet 4. eius compositum non unam esse substantiam, sed plurium substantiarum aggregatum, attamen 5. ens simplex immateriale tantum veram dici posse substantiam. Tandem, quoniam omnia accidentia et facultates substantiae, tamquam subiecto, inhaerent (§. 121.); facultatum autem exercitium *vis* nominatur (§. 30.): consequens est 6. ut accidens facultatum agendi, viriumque subiectum esse nequeat; adeoque 7. ens compositum, cuius essentia est purum accidens (§. 102. *), iis sit prorsus orbatum: contra vero 8. ens metaphysice simplex dumtaxat viribus ac facultatibus agendi praeditum esse, clare concludendum est.

* Quum ergo *substantiam* vulgo aiunt *vi agendi praeditam esse*, id de immaterialibus tantum, quae vere substantiae dici possunt, intelligendum. Id quod adeo verum est, ut convictus Leibnitius ad *monadas*, Wolfius autem ad *unitates*, ad absurda vitanda, confugerint: ut in Cosmologia diffuse disseremus.

SECTIO III.

De ente finito, & infinito.

126. DOctrinam de finito, et infinito expositturis, operae pretium est ea, quae de limitibus (§. 49.) tradita sunt, in mentem revocare: per limitem nempe intelligi *defectum ulterioris realitatis*, eumque in extensione *figuram* (§. 103.); in intensitate *gradum* (§. 120.) dici solere. Si quando itaque *limitis* vox hic occurret, ea non modo de figura in extensis, sed & de gradibus entium simplicium, est intelligenda.

127. Ex limitis notione (§. 49.) infertur 1. quidquid limitibus est circumscriptum non omnia possibilia actu habere, 2. eo maius quiddam concipi posse, 3. eius statum successive mutationem admittere. Contra vero 4. quidquid nullis limitibus est coarctatum omnia possibilia actu habere, eaque sine ullo gradu (§. 120. 126.), 5. nihil eo maius concipi posse; consequenter 6. statum eius nulli esse mutationi obnoxium; 7. nullam in eo concipi posse successionem: nam successio est mu-

mutatio. Patet ergo 8. id semper existere debere, ac permanens esse in statu suo.

128. Ens nullis limitibus coarctatum, INFINITVM, sive *illimitatum*; quod contra limitibus est circumscriptum, FINITVM, vel *limitatum*, dicitur *.

* Definitiones has esse idemticas, ideoque vitio laborare (§. 51. *Log.*), ii tantum adfirmare poterunt, quid ad *limitis* notionem rite (§§. 49. 126.), determinatam mentis aciem non converterunt. Earum ergo salva legitimitate, de veritatibus inde manantibus solliciti simus.

129. Ex prima definitione (§. 128. *) liquet 1. ens infinitum omnes possibiles realitates actu habere (§. 127.), quae quum nullo modo sibi mutuo contradicere possint (§. 51.), patet 2. eas omnimodam arguere perfectionem; ideoque 3. ens infinitum esse perfectissimum; 4. omnes perfectiones possibiles absque ullo gradu possidere * (§. 127.); 5. nulli mutationi **, aut successioni esse obnoxium, ac proinde 6. ens simplicissimum, & aeternum (§. 108.), 7. eoque nihil maius concipi posse (§. 127. ***)

* Omnes perfectiones in ente infinito absolutae, et illimitatae esse debent, nec in eo ullus defectus, aut imperfectio cadere potest (§. 49.): quidquid enim vel minimum defectum, aut imperfectionem habet, est limitatum.

** Hinc vides, ens compositum, utpote mutationi subiectum, esse non posse infinitum. Et quia extensum est ens compositum (§. 105.), extensio infinita repugnat, estque impossibilis. Ex

 quo

quo Philosophorum quorumdam error patescit, qui, quum spatium per extensionem universi accipiunt, spatium infinitum dari aperto docent: nisi forte infinitum pro indeterminato usurpare velint: id quod tamen vocabulorum abusum in philosophia vitandum arguit.

*** Quum enim sit perfectissimum. (*num.* 3.) et summe quoque bonum sit, necesse est (§. 77.); adeoque alind bonum, a quo vincatur, quodque illo maius dici possit, concipi nequit. Hoc posito; Numerus quantitas est, sive magnitudo (§. 100.), quia multitudinem unitatum exprimit: est itaque augmenti, diminutionisque capax (§. *eod.* *), eoque aliquid maius concipi potest. Numerus ergo infinitus itidem est impossibilis. Id quod observari meretur contra Physicos, qui extensionem finitam constare putant ex partibus numero infinitis: hi enim, vel contradictoria loquuntur, vel infiniti vocabulo abutentes, nullam se metaphysicae praecisionis habere rationem, ostendunt.

130. Ex altera definitione (§. 128.) patet 8. ens finitum non omnia actu habere possibilia; sed 9. diversorum successive statuum esse capax *; 10. eoque aliquid maius reperiri, aut saltem intelligi posse.

* E. g. Homo pro diversis aetatibus, studiis, vel auxiliis diversos status in se recipit, eosque tum in anima, quam in corpore. In infantia nudus, ac debilis; in pueritia vivax, aliquibus vero viribus praeditus; in adolescentia floribus, ingenio, ac corpore virens; in virilitate robustus, et iudicio pollens: in senectute tardus, multa experientia; saepe tamen penetratione destitutus. En limitationem.

131. Quoniam autem ens infinitum omnes possibiles perfectiones actu, nullisque li-

limitatas gradibus habet (§. 129.); eas vero limitibus obstrictas, nec omnes ens finitum possidere potest (§. 130.); recte consequitur 11. quamcumque perfectionem in quolibet ente finito per viam, eam quidem illimitatam enti infinito esse tribuendam *; 12. naturalem entis infiniti statum esse infinitam realitatum possessionem; finiti vero defectum; ac proinde 13. ens infinitum omnes realitates natura habere; ens finitum contra iisdem carere; ideoque 14. inter finitum, & infinitum nullam dari proportionem; 15. finitum ergo undequaque ab infinito intelligi, omniumque entium finitorum cognitionem in ente infinito simul, ac semel inveniri, aliamque adhuc infinitam scientiam, utpote illimitatam: contra vero 16. ens infinitum, eius attributa, caussas finales, opera, eorumque rationes sufficientes nullo modo ab ente finito intelligi, ac ne vix quidem concipi posse.

* Omnium tamen perfectionum in entibus quibusque finitis obviarum, quaedam *formaliter*; aliae *eminenter*; plurimae vero *virtualiter* in ente infinito reperiuntur (§ 25. *): id quod observandum denuo urgemus, ut aliquot obiectionibus ab Atheis propositis in Theologia naturali facilis sit responsio.

132. Rursus quoniam ens infinitum est aeternum (§. 129.); aeternitas vero est instans (§. 108.), adeoque omnem successionem, & tempus excludit (§. *eod.* **);

liquet 17. omnia entia finita, eorumque actiones, motus, & mutationes a tota aeternitate enti infinito fuisse praesentia. Haec autem entis infiniti scientia, si absolute spectetur, OMNISCIENTIA; si ad entia finita, tempusque referatur; PRAESCIENTIA dicitur*.

* Ens ergo infinitum est omniscium, et praescium, ita ut nihil ei esse possit occultum; sed omnia possibilia semel simulque nota, et aperta. Et id animadvertendum volumus, ne praescientiam cum decreto Dei confundentes in fatalismum incidamus.

133. Quia vero ens infinitum omnes simul perfectiones absolute continet §. 129.); inter ceteras vero perfectiones, & realitates est exsistentia (§. 52.): inde fluit 18. ens infinitum esse non posse nude possibile, alias enim status ejus esset mutationi obnoxius, si quando a possibilitate ad exsistentiam transiret, quod repugnat (§. 129.); adeoque 19. illud exsistere necessitate suae naturae; 20. ens ergo infinitum esse ens *a se* (§. 58.) Et quia est ens perfectissimum (§. 129.); 21. summe bonum esse debet (§. 77. *), quo nihil maius ac melius, quodque omnimodam in se habeat perfectionem. Quumque duo entia infinita repugnent, partim quia in plurima absurda lapsus foret*, partim quia entis infiniti natura pluralitatem excludit**, partim etiam quia in pluralitate ens summe bonum ac perfectissimum haberi nequit***: recte colligitur 22. ens infinitum esse unicum.

* Eo namque casu exsisterent duo entia omnes simul possibiles realitates absolute possidentia (§. 129.) ; adeoque infinita potentia, et vi praedita, liberrima quoque voluntate gaudentia. Tunc autem vel opposita, vel disparata, vel idem ambo velle possent. Si primum : haberetur unum volens, quod alterum nollet ; adeoque voluntatum potentiarumque collisio. At quia potentia in ambobus est illimitata, aequales utrimque essent resistentiae, nullaque actio sequeretur : id quod in ambobus, quorum voluntates sunt aeque efficaces, impotentiam arguit ; vel uterque finem suum consequeretur, et tunc idem simul esset, et non esset, quod fieri nequit (§. 15.) ; vel uno cedente, alterum vinceret, ac proinde illud finitum, hoc infinitum esset, idque unicum. Praeterea, quia posita vi, ponitur actio (§. 30., entia illa infinita vi praedita semper agere deberent. At quia actio unius omnibus possibilibus effectibus producendis sufficit, vel ambo idem agere deberent, adeoque alter eorum frustra ageret, quod cum entis infiniti sapientia pugnat ; vel uno agente alterum otiaretur, quod est contra hypothesin. Et haec quidem sunt absurda legitime fluentia, si trium specierum iam fictarum secunda, vel tertia dici velit. Relinquitur ergo, ens infinitum esse unicum.

** Et quidem ens infinitum omnes possibiles realitates actu possidet ; adeoque omnia possibilia exhausit ita, ut nihil, praeter illas realitates, exsistere possit. Nihil ergo superest, quod alii enti competere queat, nisi ab ente infinito participetur ; ac proinde nullum aliud ens dici potest infinitum, omniaque, praeter unum, finita sunt.

*** Ens enim infinitum est perfectissimum (§. 129.), ac summe bonum (*num.* 21.) : nisi tamen foret unicum, summa bonitate ac perfectione destitueretur. Eo namque casu aliud bonum agnosceret sibi aequale ; adeoque nec summum esset, nec perfectissimum ; non summum, quia non

essent omnia alia entia eo inferiora ; non perfectissimum, quia alteri adaequari imperfectio est, quae in ens infinitum cadere nequit (§. 129.). Ut ergo sit perfectissimum, reliquis superius, summumque, ac proinde unicum esse debet. Vide Tertullianum *Lib. I. contra Marcion. cap. 3.*

SECTIO IV.

De ente necessario, & contingente.

134. NECESSARIVM dicitur *id, cujus oppositum est impossibile* (§.45.) *. Dividitur in ABSOLVTVM, & RELATIVVM: quorum illud suapte natura; hoc certo tantum respectu, necessitatem importat **. CONTINGENS contra vocatur, *cujus oppositum possibile est* ***.

* E. g. *Bis duo conficere quatuor*, est necessarium : oppositum enim est impossibile.

** Sic absolute necessarium est, *circulum esse rotundum*; relative autem, *sole splendente, lumen in terris adesse*. Necessitas absoluta alio nomine *interna, geometrica, logica, necessitas essentiae* vocatur, quorum nominum rationem reddemus coram. Contra vero necessitas relativa *hypothetica* dici solet; insurgit enim, posita aliqua conditione. Et quia necessarium, et impossibile contradictorie opponuntur : quae de impossibili supra *cap. 2. sect. 1.* dicta sunt, contraria ratione de necessario enunciata intelligantur.

*** E. g. Contingens est, te in Academiam venire : poteras enim, si noluisses, aliud agere. Atque hoc sensu contingens necessario opponitur. Saepe tamen contingens accipitur pro fortuito : ut si quis saxo canem petens, hominem percutiat. Sed hoc ad praesentem non attinet theoriam.

135.

135. Quidquid aliter esse potest, MUTABILE; quod vero aliter esse nequit, IMMUTABILE dicitur. Liquet ergo, necessarium cum immutabili *; contingens cum mutabili, unum idemque esse.

* Si namque necessarium esset mutabile, tunc aliter esse posset, adeoque eius oppositum possibile foret, quod est contra definitionem (§. 134.).

136. Ex quibus definitionibus clare deducitur 1. absolutam necessitatem tollere contingentiam; adeoque 2. eas inter se opponi contradictorie *; 3. relativam vero necessitatem non esse contingentiae oppositam, eamque non tollere; unde 4. quidquid est relative necessarium, absolute esse contingens, ita ut mutatis circumstantiis, aliter esse possit. Hinc 5. necessitas absoluta nec principium, nec finem admittit; atque adeo 6. est aeterna (§. 108.) **; 7. & eadem in omni loco ***.

* Igitur inter absolutam necessitatem, et contingentiam non datur medium: sed unius exclusio alterius necessario continet inclusionem (§. 87.). Ut adeo quidlibet vel absolute necessarium, vel contingens esse debeat. Quumque inter se contradictorie opponantur: quae de uno praedicantur, contraria ratione de alio enunciari debent.

** Si namque non esset aeterna, principium et finem haberet; ac proinde tempus, vel saltem momentum aliquod dari posset, in quo ejus oppositum possibile foret, quod fieri nequit (§. 134.).

F 6 *** Vbi-

*** Vbicumque enim ponatur circulus, ei absolute necessaria semper erit rotunditas; nec ulla loci mutatione effici poterit, ut absoluta necessitas in contingentiam evadat; nam locus nullum habet in rerum natura influxum, adeoque nihil in ea mutare valet (§. 107. **).

137. Et quoniam entis essentia est absolute necessaria (§. 55.); ea enim ablata, ens destrueretur; qualis vero caussa, talis esse debet effectus (§. 26. *): consequens est 8. ut quidquid in entis essentia rationem habet sufficientem, sit etiam absolute nenessarium; contra vero 9. quidquid extra entis essentiam rationem illam agnoscit, sit contingens *. Quare, quia exsistentia entis *a se* rationem suam in eius essentia habet, non vero entis *ab alio* (§. 58.), clare liquet 10. exsistentiam entis *a se* esse absolute necessariam; 11. exsisentiam vero entis *ab alio* esse contingentem **.

* Inde ergo deduximus (§. 60.), entis attributa esse absolute necessaria, quia in eius essentia rationem habent sufficientem (§. 59.): contra vero modos esse contingentes, utpote rationem illam extra eius essentiam habentes (§.61.).

** Exsistentia ergo entis *a se* est eiusdem attributum; exsistentia contra entis *ab alio* est accidens ei a caussa aliqua externa concessum (§.59.). Vides hinc, ens a se exsistere necessitate naturae; ens ab alio natura sua non exsistere, sed ab alio exsistentiam accipere; adeoque non abs re illud *ens*; hoc *non ens* a Platone dictum fuisse. Hoc, vellemus, perpendant quicumque supremi entis exsistentiam vel inficiantur, vel non abunde in Ontologia demonstrari contendunt.

138.

138. ENS NECESSARIVM audit, *cujus exsistentia est absolute necessaria*; ENS vero CONTINGENS, *cujus exsistentia contingens est* *. Ens denique, quod ubique, sive in omni loco est, IMMENSVM dicitur.

* Vocabula *necessitatis*, et *contingentiae* quum supra (§. 134.) iam definita sint, non est quod hic de nostrae definitionis identitate querantur, qui alienos labores nigro, ut aiunt, lapillo notare solent.

139. Ex quo patet 12. ens necessarium esse ens *a se* (§. 137.), ac proinde 13. increatum (§. 121.), & independens * (§. 36. *), 14. nec loco, nec tempore circumscriptum (§. 136.); ideoque 15. aeternum (§. 108.), & immutabile (§. 125.) †. 16. immensum ** (§. 138.), 17. infinitum (§. 129. 133.) 18. perfectissimum (§. 129.) ***, 19. & simplex, immo spiritum purissimum, ac simplicissimum (§. *eod.*) ****.

* Entis ergo necessarii exsistentia evinci posset, etiamsi nullum ens contingens umquam exsisteret: quanto ergo magis elucebit, quum entium creatorum exsistentiam ostenderimus?

** Ens necessarium esse immensum, ex eius immutabilitate liquido infertur: si namque immensum non esset, in aliquo tantum loco inveniri deberet, et tunc nec infinitum esset, et de uno in alium locum transire, illum nempe mutare posset, quod cum eius immutabilitate pugnat (§. 135.).

*** Etenim ens perfectissimum omnes possibiles realitates absolutas intensissime continet (§.

(§. 77.), Si vero ens necessarium non esset perfectissimum, ei realitas aliqua deesset, atque in eo limitatio, ac defectus irreperet (§. 49.). Realitates autem limitatas augeri, et minui posse docet sensus communis (§. 127.): igitur nec infinitum (§. 129.), nec immutabile esset (§. 135.), quod est absurdum. Est ergo perfectissimum, ac proinde liberrimum, omnipotens, omniscium (§. 131.), providum, sapientissimum, summum bonum, felicissimum etc.

**** Quidquid ergo compositum est, necessarium esse nequit, ac proinde contingens dici debet: ut ita ens compositum proprio nomine *contingens* ubique dicatur.

140. Inde quoque fluit 20. ens necessarium non posse non exsistere; proindeque 21. actu exsistere, eiusque exsistentiam in dubium vocari non posse (§. 134.) * ; 22. & esse unicum (§. *eod.*). Hinc 23. non immerito a Philosophis, duce Platone, ENS *per excellentiam* fuit appellatum (§. 137.) **.

* Si namque eius existentia est absolute necessaria (§. 138.), id non exsistere, est absolute impossibile (§. 154.); eiusque exsistentiam in dubium vocare idem esset, ac sensui communi valedicere, crassamque ostendere stupiditatem. Habes hic aliud argumentum Entis supremi firmans exsistentiam.

** Quum enim ens necessarium sit aeternum (§. 139.), cui instans absolute convenit (§.108.), adeoque solum praesens (§. 107. *not.* 4.); ipsi adeo propria est exsistentia, ut in eo tantum vera sit; absoluta, nullique umquam mutationi obnoxia. Quid igitur adhuc restat, nisi ut ens illud vere et proprie exsistens, atque adeo ens per excellentiam appelletur?

141.

141. Ex eodem principio legitime manat 24. ens contingens esse ens *ab alio* (§. 137.); & per consequens creatum *, loco & tempore circumscriptum, mutabile, dependens, ac finitum (§. 136. **), quod proinde nulla necessitate naturae, sed sola libera caussae efficientis voluntate exsistit, & exsistentiam suam aliquando accepit **.

* Creatio ergo contingentiam, adeoque mutabilitatem includit; aeternitatem vero excludit: ita ut creatio ab aeterno repugnet eodem modo, ac si diceretur, creatum esse increatum.

** Si ens contingens est temporarium, vere exsistens dici nequit. Vbi namque tempus adest, ibi praesens est adeo insensibile et momentaneum, ut ab omnium conceptu statim evanescat, remaneatque praeteritum et futurum, utpote partes temporis. Quum ergo exsistentia praesentis ideam sistat; ex praeterito autem, ac futuro possibilitas exsurgat (§. 107. *not.* 4.): quis umquam rationis suae compos, enti contingenti veram exsistentiam, ac non potius nudam possibilitatem, concedere ausit? Entis itaque contingentis exsistentia adeo precaria est, mutabilis, et ab uno entis increati et creantis nutu dependens, ut in nihilum abeat, eique exsistentiae nomen improprie tribuatur.

142. Quoniam igitur ens contingens et ens ab alio (§. 141.), scilicet aliam extra se caussam suae exsistentiae habet (§. 58.); quod autem de uno dicitur, de universa contingentium serie enunciari debet (§. 26. *not.* 5.) *; extra contingentium vero seriem unum ens necessarium habetur, quod ei contradictorie opponitur (§. 136.): liquido infertur 25. ens contingens rationem suae exsistentiae habere in ente ne-

cess-

cessario, atque ab ipso pendere (§. 10. 21.); **; ac proinde 26. ens necessarium totius contingentium seriei esse principium ***, ita ut sine eo nulla possit umquam concipi series contingentium. Quum autem series haec exsistat, ut experientia patet: liquet 27. etiam ex hoc capite ens necessarium actu exsistere ****.

* Quamvis enim longa sit contingentium series, nihil, nisi caussarum impotentium catenam, exhibet, quae exsistentiam omnesque realitates ab alio ente accipere debent, quod extra seriem sit, suaque natura exsistat. Idem ergo integra huiusmodi series est, ac unum ens in serie exsistens, quod nulla necessitate naturae, sed libera caussae efficientis extra seriem exsistentis voluntate exsistit.

** Patet hinc, vel unius entis contingentis exsistentiam nos de Entis necessarii exsistentia convincere; eoque clarius, ac evedantius fieri argumentum, quo longior erit contingentium series; ut adeo Athei infinita illa contingentium catena Dei exsistentiam eo firmius statuant, quo impensius illam urgent.

*** Principium enim est id, a quo aliud pendet (§. 10.). Vides ergo, contingentium seriem in infinitum produci non posse (§. 26. *not.* 5.), sed in uno ente necessario, tamquam suo principio, sive prima caussa, sisti debere: atque inde patet, quam inepte ratione sua abutantur Athei, qui Dei exsistentiam somniata illa contingentium serie inficiari conantur, ut in Cosmologia, et Theologia naturali patebit.

**** Si namque Entis necessarii tollatur exsistentia, nulla foret contingentium externa possibilitas, atque adeo nusquam exsisterent. Hinc ens necessarium a multis vocari solet ens increatum

tum et creans, cuius est possibilibus exsistentiam largiri,, exsistentia conservare, omniaque infinita sapientia gubernare: et hoc, ut in Theologia naturali manifestum erit, DEVS est, cuius gloriae pro virili illustrandae omnes labores nostros, omniaque studia ut dirigamus, nos urget aeterna lex, ut in Iure Naturae demonstratum ibimus.



ME-

METAPHYSICAE

PARS SECUNDA

COSMOLOGIA

PRAELUDIUM

§. 143. Quandoquidem Metaphysica non modo de ente, sed & de mundo in genere scientifica methodo agere debet (§. 4.): opus est, ut praestructis rerum principiis (§. 15.), ac evolutis entis notione (§. 44.), adfectionibus (§. 59.), & diversitatibus (§. 97.), ad mundi generatim spectati exsistentiam, & proprietates pertractandas transeamus. Id quod in praesenti parte, quantum sat erit, experientiae & rationis ope disquiremus.

144. MUNDUS, κοσμος, est *totum id, quod sensibus nostris obversatur, sive in coelo, sive in terra exsistens inveniatur* *: qui proinde dicitur ADSPECTABILIS, sive *sensibilis*. Et quia sensibus tantum individua percipiuntur (§. 35. *Log.*): liquet, mundum adspectabilem individuis constare, nec alias notiones nobis suppeditare, quam singulares (§. 28. *Log.*); adeoque Physices obiectum constituere, quippe quae exteriorem, ac sensibilem rerum ordinem contemplatur (§. 2. * & §. 7. *Log.*)

* Ex-

* Experimentalem hanc mundi sensibilis definitionem ideo praemisimus, ut quae mox de Cosmologiae indole dicenda erunt, probe intelligantur: infra namque universalem mundi ideam generalis eiusdem definitio suppeditabit, quam tamen ab experientia rite instituta derivatam universo Cosmologiae systemati praemittemus. Mundi ergo adspectabilis partes corpora sunt, sive entia composita, quae in loco esse, spatiumque occupare possunt (§. 110.): ut adeo eius cognitio recte intuitiva, sive experimentalis, sit appellata.

145. Sed quoniam Metaphysica subliniora, & intelligibilia perscrutatur (§. 2. *): patet, mundum sensibilem, utpote intuitivae cognitionis obiectum, hujus praeclarae scientiae materiam esse non posse, licet tamen eum nullo modo respuat. Nam quum veritates universales certis principiis superstruat (§. 3.); inter principia vero certa experientiae enumerentur (§. 130. *Log.*), a quibus universales ideas (§. 124. *Log.*), ac iudicia eruit (§. 126. *Log.*), maximam mundi huius sensibilis rationem habet; non quod eum, ut obiectum principale, consideret, sed quia sine eo nullam mundi generatim spectati ideam efformare posset. *

* Nimirum ex his, quae infra dicenda sunt, adparebit, ideam mundi universalem experientiae ope fuisse efformatam, ut adeo eiusdem adspectabilis deficiente cognitione, in eo abstracte considerando frustra omnino laboraremus.

146. *Mundi generatim spectati scientia* COSMOLOGIA vocatur a Wolffio, qui veri-

ritates ad eam pertinentes in veteribus aeque ac recentioribus Metaphysicorum, Physicorumque libris huc illuc dispersas attente collegit, easque in ordinem redactas ita disposuit, ut quae nullum prius proprium, fixumque situm habuerant, eius opera Metaphysicae partem constituerent, eamque haud adspernandam: ut ita methodicae collectionis, non tamen inventionis, ei gloria debeatur *.

* Wolfius enim modestiae suae limites aliquanto transcendens *in Praefatione ad Cosmol. general.* quaedam de se praedicat, quae reticere melius sibi fuisset. Eius praefationis initio: *Inauditum in Scholis*, ait, *nomen est Cosmologia generalis, quam et transcendentalem appellare soleo, nec ullus Metaphysicorum de ea cogitavit, vel illis temporibus, quibus spissa de Metaphysica volumina conscribebantur*. Si de collectione sola, vel nomine illi indito loquatur Cl. Vir, profecto vera dicet, at non tanto extollenda principio: si vero de veritatum inventione intelligat, iactantiam sapit modestissimo illo Philosopho minime dignam.

147. Ex quo patet, Cosmologiam mundi sensibilis cognitionem intuitivam pro fundamento ponere, & inde ideas universales eruere (§. 145.); hinc experientiae auxilium praemittere, cetera quoque principia, ideoque veritates in Ontologia demonstratas adhibere, ut inde suas queat deducere conclusiones: quapropter eam Ontologiae subiungere necesse fuit, ne firmis destituta principiis in inanem potius garrulitatem, quam solidam, masculamque scientiam abiret *.

* Quae namque solidis caret principiis, nullas conficere poterit demonstrationes, adeoque scientia dicenda non est (§. 2. *Log.*).

148. In scientiis dici non potest, quantus sit Cosmologiae usus. Nam si de Physica loquamur, quum haec caussas rerum proximas, & peculiares exquirat, ad eas inveniendas, cognitis generalioribus caussis, ac remotis, facili negotio descendit. Theologiae Naturali porro plurimum adfert adiumenti: quum enim ad Dei cognitionem a creatarum rerum contemplatione perveniatur *: excussis omnibus Naturae operibus, mundi ordine, ac perfectione, Entis etiam increati & creantis habebitur exsistentia, ceteraeque perfectiones, quarum brevem veluti indicem, quamvis imperfectum, nostroque captui accommodatum, in ipsa Teologia texturi sumus.

* *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas*: inquit Apostolus *ad Rom. I.* 20.

CAPUT PRIMUM

De Mundi exsistentia,

149. DE mundo generatim spectato in Cosmologia acturi, illud primum in disquisitionem cadit: an exsistat? Quod ut recte fieri possit, de eius natura prius aliqua praefari oportebit; deinde

ad

ad exsistentiam, ac tandem ad partes, quibus constat, contemplandas gradum facere. Idque in diversis sectionibus exsequemur.

SECTIO I.

De Mundi natura, & proprietatibus.

150. MVNDVS, sive VNIVERSVM est *systema* * *entium finitorum, tam simultaneorum, quam successivorum* (§. 106.) **. Vnde patet, omnia entia in hoc systemate comprehensa esse inter se connexa, & quidem simultanea ratione spatii (§. 107.*), & per caussas finales (§.37.); successiva vero ratione temporis (§. *eod.* **), ac per caussas efficientes (§. 34.) ***

* Et recte. Nam quum entium inter se connexorum seriem contineat a principiis suis legitime pendentium, systema appellari debet (§. 192. *Log.*).

** Vides hic definitionem ab experientia (§. 124. *Log.*) deductam, ac proinde veram (§. 128. *Log.*). In mundo namque observamus, sole splendente terram illustrari, ac foecundari; diei vero noctem, huic denuo diem succedere. Sol et Terra sunt simultanea; dies et nox successiva (§. 106.). Haec autem omnia tam multis sunt obnoxia vicibus; ut et contingentia, et mutabilia, et finita recte dicantur. Insaniunt ergo, qui solo phantasiae ductu diversas mundo tribuunt proprietates, eumque vel infinitum, vel immutabilem efficere volunt, ut inde Atheismum, cui adhaerent, inferre possint.

*** Si

*** Sic Sol, et Tellus sunt simul an?a, eaque connexa ratione spatii, vel per caussas finales, quia Naturae sapientissimus Auctor ea coexsistere voluit in eum finem, ut solis radiis Tellus illustrata calorem conciperet, calefacta vero plantas herbasque produceret: atque ex eorum ordine spatii notio exsurgit (§. 107. *). Sol autem, Terraeque foecunditas sunt connexa ratione temporis, et per caussas efficientes: haec namque illi succedit, eamque ut caussam productionis efficientem agnoscit.

151. Mundus est vel *materialis*, sive SENSIBILIS, qui connexionem exhibet inter caussas, & effectus rerum corporearum; vel *immaterialis*, seu INTELLIGIBILIS, qui nexum continet inter caussas, & effectus rerum materiae expertium. Hi ambo simul spectati, & in serie constituti, ut inter res corporeas, & immateriales relatio intercedat, cuius seriei omnes ut partes considerantur, VNIVERSVM, de quo loquimur, constituunt.

152. Quum ergo mundus tot partibus constet, quot sunt entia simultanea, & successiva, quae in eo systemate ingrediuntur (§. 150. *seq.*): consequens est 1. ut mundus sit ens compositum (§. 102.); 2. eiusque essentia in partium compositione, scilicet in entium simultaneorum, & successivorum nexu consistat (§. *eod.* *) *; ac proinde 3. sit ens contingens (§. 139. *not.* 4.), & finitum (§. 129. **); 4. quaecumque in eo mutatio per motum fieri debeat (§. 111.).

* Evi-

* Evidens ergo est, hunc mundum per hanc partium connexionem esse hunc, et non alium; ea vero mutata, alium, atque alium mundum exsurgere posse: idest si supremo Naturae Auctori diversos inter entia nexus per caussas finales, et efficientes statuere libuerit, diversi inde mundi exsistere possent.

153. Et quia connexio illa entium finitorum mundum constituit in se quidem indivisum, ast ab aliis mundis possibilibus separatum; id vero est, quod unum dicimus (§. 64.): recte infertur 5. mundum esse ens unum.

* Quaecumque igitur, vel quantacumque possit esse mundanorum entium catena; quousque item eam extendere velint Materialistae: omnis illa series, quanta quanta erit, unum tantum ens constituet, quod *mundus* vocatur, et ideo tamquam unum ens considerari debebit.

154. Quia vero in mundo omnia sunt connexa per caussas finales, & efficientes (§. 150.); connexio vero alicui fini destinata ordo vocatur (§. 71.): sequitur 6. ut in mundo exsistat ordo; atque adeo 7. omnia in ipso ad finem aliquem sint directa. At quoniam finis supponit in caussa efficiente intelligentiam (§. 40.), multoque magis in mundo multorum finium, ac mediorum connexio, & conspiratio intelligentissimam exigit caussam effectricem; finis vero electio, mediorumque ad eum adprime tendentium ordinatio ad sapientiam pertinet (§. 41.): liquido colligitur 8. mundum hunc summam

mam Auctoris sui sapientiam prae se ferre; adeoque 9. quidquid summa sapientia caret, mundi caussam esse non posse *.

* Quia ergo materia bruta intelligentia caret; casus autem, ut infra dicemus, utpote vocabulum nihili, nullam adfectionem (§. 48. *not.* 4.), adeoque nullam intelligentiam habere potest; stupiditas maxima esset adhaerere, mundum hunc a materia, vel casu fuisse productum.

155. SALTUS est *transitus ab uno in aliud extremum, omissis mediis*. CASUS vero est *effectus sine caussa efficiente* *. Ex quo patet 10. saltum, & casum in mundo non dari: nam uterque nexum tollit, mundi nempe essentiam (§. 102. 150.); ideoque 11. casum esse terminum inanem, ac notionem deceptricem continentem (§. 42. ** *Log.*). Quumque nihil sit sine ratione sufficiente (§. 22.), ita ut quidquid ratione illa destituitur sit impossibile (§. 23.), & id, quod alterius rationem continet, caussa dicatur (§. 21.): liquet 12. effectum sine caussa efficiente esse impossibilem. Et quia casus est effectus sine caussa: liquet 13. impossibile prorsus esse, ut mundus sit a casu productus ***.

* Hoc sensu casus distinguitur a *fortuna*, *casu*, vel *fortuito*, quae in ore vulgi notant effectum, cuius ratio, et caussa ignoratur, vel qui nulla humana prudentia praevideri poterat: quo spectant illa Ciceronis *Acad. quaest. Lib.* 2.: *Propter*

obscuritatem, *ignorationemque caussarum*, *fortuna efficit multa improvisa*, *& inopinata*. Hinc qui ingenio nimis rudi praediti sunt, quo res humanas praevidere nequeant, plurimum fortunae tribuunt, caussamque trito illi adagio dederunt: *ubi parum ingenii*, *ibi plus fortunae*. Sed de his eventibus praeter exspectationem contingentibus nihil hoc loco.

** Id ipsum observavit Cl. de la Chambre *Diss. sur la Métaph.* §. 19., casum esse terminum inanem nec posse nostrae exsistentiae esse principium. *Le hasard*, ait, *n' est pas le principe de notre existence*. *Qui dit hasard*, *dit un mot vuide de sens*, *un pur néant*, *& on sait*, *que le néant n' a ni vertu*, *ni force*.

*** Ruit ergo Epicuraeorum argumentum, qui mundum hunc casu effectum esse dictitant, nempe caussam efficientem non habere, quorum insaniam fusius infra refellemus. Immo vero eadem sua adsertione materialismi caussam aperto produnt: nam quod ipsi aiunt casu effectum, caussam effectricem habet, licet imperviam. *Quod casus dicitur*, inquit D. Voltaire, *nulla re melius*, *quam talorum iactu*, *explicari potest*. *Casus*, *inquiunt*, *effecit*, *tal s* 12. *potius dare*, *quam* 7. *Vt hoc phaenomenon physice explicare possemus*, *iis oculis instructos nos esse oporteret*, *quibus apte videremus*, *quomodo talos fritillo inclusos*, *magis minusve celeres ac frequentes manus succussiones*, *quibus agitantur*, *& maior minorve illis velocitas inditur*. *Dictionn. philos. art. Hasard.* In ipsa ergo impossibili Atheorum hypothesi, etiamsi mundus fortuito atomorum concursu productus dici vellet, concursus ille non esset casualis, sed rationem sufficientem haberet in caussa aliqua intelligente, et vi activa praedita, quae motum in iis producens, eumque regularem, effectum gigneret omnem humanum captum exsuperantem; adeoque mundus non esset casu productus.

156.

156. Quoniam autem entia simultanea, & successiva, quibus mundus componitur (§. 150.), in sensus incurrunt, atque experientia innotescant (§. 150 **); quidquid vero sensioni legitime institutae (§. 119. *Log.*) convenit, certum est, & pro certo haberi debet (§. 108. *Log.*): consequens est 14. mundum sensibilem exsistere, ac proinde 14. turpiter alucinari IDEALISTAS *, qui omnem materiae exsistentiam inficiantur; turpissime prorsus EGOISTAS **, quorum insania eo usque pervenit, ut in mundo nihil, nisi se solos, exsistere dicant.

* Huic absurdo systemati viam Plato stravit intelligibilibus illis ideis, in quarum evidentia criterium veri statuit (§ 99. * *Log.*); fundamenta vero dedit Malebranchius, qui sensus admodum fallaces esse dixit; *De la recherch. de la verit. Livr. I.*, ideoque a multis supremi sub ellii Philosophis plene fuit refutatus, ut adeo actum agere nolentes nihil de eo solliciti simus: nec alio ducere videtur Leibnitii, et Wolfii *harmonia praestabilita*, ut suo loco dicemus. Idealistarum Coriphaeus fuisse videtur Michael Angelus Fardella, natione Siculus, cuius opinionem sequutus est Gregorius Berkley Episcopus Hybernus, ut patet ex huius libro *de principiis cognitionis humanae. Dublin.* 1710, et Antonius Collier Anglus in *clavi universali*, sive *inquisitione veritatis. Londin.* 1733.

** Idealistarum fanatismum longius provexerunt Egoistae, magna ex parte Malebranchii discipuli. *Mem. de Trevoux de l'ann.* 1713. *au mois du Mai*. At si eorum quisque exsistit, quidni et alii quoque exsistent? Praeterquam, quod *si tan-*

gere, ac tangi, nisi corpus, nulla potest res, alia quoque entia in organis suis mutationem inducentia exsistere, fateri coguntur. De cetero istorum dementia comploranda potius est, quam confutanda. Egoismus tamen, qui in mundo physico purus putusque est fanatismus, in mundo morali passim observatur: id quod plurimis moralem ordinem turbat vitiis et defectibus. Nemo enim inter homines ferme invenietur, qui non sibi soli studeat, sapiat, agatque; quive se, ut totius universi centrum esse putans, omnia ad se referre conetur. Sed de his latius in moralibus agemus.

SECTIO II.

De corporibus, eorumque elementis.

157. Postquam mundi generatim spectati naturam, & exsistentiam observavimus, ordo postulat, ut sensibilis mundi partes contemplemur, quae *corpora* vocantur. Vnde non abs re doctrinam de corporibus, primisque eorum componentibus hic subiungimus.

158. SOLIDVM, sive IMPENETRABILE dicitur *quidquid in loco positum, alterum ab eodem loco excludit*. Huiusmodi vero entis proprietas alterum de suo loco excludendi, SOLIDITAS *, seu IMPENETRABILITAS appellatur.

* Non loquimur hic de soliditate *geometrica*, quae quum in trina entis dimensione consistat, extensio potius, quam soliditas dicenda est; sed de soliditate *physica*, sive impenetrabilitate, ea nempe resistendi potentia, qua corpus aliquod alterius corporis superficiei suam opponit, idque de

suo

suo loco excludit; unde duo haec nomina eumdem habent in Physica significatum.

159. Est autem CORPVS: *ens extensum* (§. 102.), *solidum* (§. 150.), & *iners* (§. 109.), *mundi huius adspectabilis partem efformans*. Quod si motus suos secundum propriae compositionis leges exsequatur, MACHINA dicitur. Prima corporis componentia dicuntur ELEMENTA, hoc est, *entia simplicia materialia* * (113.), *e quorum coagmentatione corpora coalescunt*.

* Ea Boscovichius *puncta materiae* appellare consuevit, quae a punctis Zenonianis toto coelo diversa sunt. Nollemus tamen, Virum subtilissimum *puncti* nomine ens partibus omnino carens intellexisse, nam id aperto contradictionem involveret. Etenim materia, ex eiusdem, omniumque Physicorum confessione, est *ens extensum*, utcumque ei extensio, sive ut proprietas essentialis, sive ut attributum, tribui velit; extensum vero est ens compositum (§. 105.), ac proinde puncta materiae idem essent, ac simplicia composita, idest simplicia non simplicia (§. 113.), quod est absurdum (§. 15.). Si vero intelligat puncta *physica*, ea nempe, quae licet simplicia videantur, tamen in se composita sunt, vera dicet, nullaque umquam conditione refellenda. Sed quae sit acutissimi huius Philosophi sententia, aliis iudicandum relinquimus, meliusque infra patebit.

160. Ex elementorum definitione (§. 159.) patet, quam male rationes suas confecerint LEIBNITIVS *, & WOLFIVS **, quorum ille famoso, quamvis sublimi, *monadum* somnio, hic *unitatibus*

suis nescio quid absurdi in Philosophiam invehere conati sunt, ac materiam extensam ex plurium inextensorum coalescentia ortam magno conatu contenderunt.

* Godefridus Guilelmus Leibnitius celeberrimus Germaniae Philosophus, cuius penetrationi multa, et magna debet Respublica Litteraria, plurimum suo fidens ingenio, Stratonis Lampsaceni *naturas plasticas* restauravit, omniaque in mundo entia simplicia esse statuit; quae proinde *monadas*, sive unitates appellavit, earumque quatuor classes constituit: in quarum prima Deum; in altera animas humanas; in tertia animas brutorum; in quarta denique corporum posuit elementa, quae proprie, et κατ᾽ ἐξοχὴν *monadas* dixit. Primam monadem *originariam*, *increatam*, *primitivam* appellat, cui distinctissimam omnium repraesentationem tribuit. Secundae classi claram, et distinctam perceptionem; tertiae claram quidem, at confusam; postremae denique obscuram, id est, perceptionem absque apperceptione, seu conscientia, competere docet. Baumeister. *Metaph.* §. 454. *Schol.* 3. Hoc Cl. Viri somnium a Germanis propugnatum, ab Anglis risu fuit exceptum: sed, ut illustris Philosophi verbis utamur, meretur Leibnitius alia ratione, quam risu, confutari. Para *Théorie des êtres sensibiles*. *Trait.* I. §. 51. Somnium diximus: nam perceptiones illae, quas sine apperceptione monadibus, sive corporum elementis attribuit, undenam ipsi innotescerent, nec sciebat Leibnitius, nec umquam scire poterat: non ratione, quia nullum ei praesidium adfert; non experientia, numquam enim adduxit casum singularem, quo in lapide, ligno, aliove corpore einsmodi monadas sine apperceptione percipientes observaverit, ne subreptionis vitium incurreret §. 120. *Log.*). Praeterquam quod si corporum elementa, quamvis obscure, perciperent, duorum alterum consequi deberet, vel nempe *Idealismus* nul-

nullam materiae largiens exsistentiam, vel *Materialismus*. de quo infra sermo cadet: si namque materia, licet imperfecte admodum, percipere posset, obscuritas illa temporis progressu, aliisque accedentibus modificationibus, evanesceret; ac tandem in claritatem, et distinctionem abiret: quo nihil absurdius dari posse, ipse Leibnitius ubique contendit, nosque in Psychologia fuse ostendemus.

** Cel. Christianus Wolffius Leibnitii sui systema in parte respuens, in parte tamen sectatus est. *Monadum* nomen quippe reiecit, et perceptionum illarum absurditatem agnovit: ipse tamen *unitates* invexit, easqus corporum elementa esse dixit, *Cosmol. gen. Sect.* 2. *Cap.* 2., quae non sunt, nisi fere *monades* illae a Pythagora inventae, quas principia corporum esse docuit. Laert. *Lib. VIII. cap.* 1. *segm.* 19. De unitatum natura loquens, eas esse, ait, metaphysice simplices. Huic autem quaerimus: unitates illae suntne materiales, an immateriales? Si primum, erunt etiam extensae: nam extensio est proprietas a materia inseparabilis, ut ea ablata, materiae essentia destruatur. Si alterum, quonam modo partes omnis materiae expertes totum materiale constituent? qua ratione unitates illae in unum coalescent? quum sint penetrabiles, nullo modo extensum efformare, aut se invicem contingere poterunt. Respondet Boschovichius, et post eum Storchenau *Cosmol.* §. 49., elementorum nexum non fieri per immediatum contactum, quia si mutuo se contingerent, compenetrarentur: sed duplici vi *attractiva*, et *repultrice* ducta eamdem semper inter se distantiam servare. Fatemur quidem, nos nondum intelligere posse, quonam modo fieri queat, ut talia elementa distantiam inter se mutuo servantia, nec ad contactum venientia extensum continuum efformare possint, quamvis viribus attrahentibus, et repellentibus maxime praedita? semper enim vires illae tales erunt, ut elementa eamdem inter se distantiam servent, non ut extensum solidum efficiant: ad id namque re-

quiritur contactus, et in elementis soliditas. Sed ut viam his omnino claudamus, ab eis quaerimus, quanam materia vacuum inter illa elementa interceptum impleri putent? Non alia quidem, quam novorum elementorum interpositione. Haec tamen nova elementa, vel ad contactum aliorum pervenient, vel non: si primum, quia simplicia sunt, ex eorum met confessione, compenetrabuntur, nec unquam extensionem efformare poterunt: si alterum, ad idem semper argumentum res redibit. Praeterquam quod, quum elementa ista attributorum qualitatumque in corpore concurrentium subiectum inhaesionis esse debeant, opus est, ut ad ea sint naturaliter disposita (§. 62.). Simplex autem est composito contradictorie oppositum (§. 114.); et oppositorum contrariae sunt adfectiones (*per exper.*). Idem ergo ens contrariarum adfectionum subiectum inhaesionis esse nequit; ac proinde non potest simul esse simplex simplicibus praeditum attributis, et in corporum compositionem ingredi, ut qualitates oppositas in se recipiat. Restat ergo ut fateamur, elementa corporum esse simplicia materialia (§. 113.), solida, et inertia, quae mutuo contactu coalescentia extensum, sive corpus, conficiunt, unde *corpora elementaria* a nonnullis appellantur. Quod autem spectat ad atomos Democriticas, et Epicuraeas, quoniam superficie, et figura donatae ponuntur, Laert. *Lib. IX. cap. 6. segm.* 2., *et cap.* 7. *segm.* 12. *Lib. X. segm.* 24., corpora potius, quam simplicia, dici debere quisque videt (§. 105. 159.).

§. 161. Ex quo patet 1. elementa corporum esse substantias materiales (§. 122.), easque inertes (114. **); adeoque 2. illa potentiam tantum movendi habere, non vero vim, quae simplicibus tantum immaterialibus competens (§. 119.), ab iisque procedens, cum corporibus tamen, atque adeo

adeo cum elementis communicatur. Liquet ergo 3. elementa quiescere, nec nisi externa accedente caussa moveri, motumque suum aliis imprimere; * ac proinde 4. ab alia caussa extra se celeritatem, & directionem accipere in motu, easque caussae motricis vi semper habere proportionales: immo vero 5. dum ab alia caussa impelluntur, hujus impulsui resistere, 6. eamque resistentiam in corporibus esse materiae quantitati, sive summae elementorum proportionalem **.

* In elementis ergo, ac proinde in materia inest duntaxat motus possibilitas, nempe dispositio naturalis ad motum recipiendum, non vero vis motrix materiae insita, pro qua Physici tot quaestiones sustinuerunt, quamque in motu *vivam*, in quiete *mortuam* appellant, in solo nempe movendi conatu absque exercitio consistentem. Vis illa namque a corpore in motu constituto possessa, est vis ei ab agente impressa: unde semper tanta invenitur, quantam cum ipso caussa motrix communicavit: et si quando corpus aliud impingendo movet, vim quidem illud movendi habet, sed eam tantum, quam a caussa motrice participavit, ut inde primitivorum motuum, et velocitatum in conflictu fiat distributio, scilicet amisso in urgente, adquisitio vero in percusso, datis legibus physicis Dynamicam componentibus. Hinc eo casu corpus urgens habebitur ut caussa secunda enti simplici subordinata, aut veluti caussae motricis instrumentum (§. 26. **), eius namque viribus agit; non vero ut caussa principalis propria vi praedita. Vis contra mortua, quam aiunt, non vis est dicenda, sed inertia, sive qualitas passiva materiae, quae statum proprium mutare impotens, suam caussae moventi massam opponit, nempe numerum suarum par-

 tium,

tium, quae quum aeque inertes sint, et ad motum natura dispositae, non aliter moveri poterunt, quam impulsae: unde inertia massae proportionalis esse dicitur in Physica. Inde ergo est, ut caussa motrix tantam virium intensitatem impendere in movendo corpore debeat, quanta aggregatum tot particularium virium adaequet, quot movendis singulis illius corporis particulis, sive elementis, sufficiant. Si haec probe perpendantur, videbitur, quanto melius theoriae physicae explicentur hoc modo; quum contra tributis, distributisque viribus illis, admodum implicatae inveniantur. Vt omnia haec incommoda declinarent, Leibnitius et Wolffius monadum unitatumque hypothesin excogitarunt, ab iisque vires activas in elementis repetunt. Elementa, inquiunt, substantiae sunt, ac proinde activa, viribusque praedita: essentialiter ergo agunt. Etenim omnis substantia nihil aliud est, quam vis: adeoque vires et elementa unum idemque sunt. Fatemur equidem, quod si res ita se haberet, Leibnitiani et Wolffiani triumphum canerent. Quid autem agent, quum falso supposito universum systema laborare compererint? Et quidem si substantiae illae forent, essentialiter agere deberent (§. 30.), adeoque nulla exteriore caussa ad agendum indigerent. Ecur vero corpora non, nisi ab alia caussa impulsa, moventur? Vnum obstare posset, nempe impedimentum. Hoc autem ab alia substantia offerri deberet, non ab accidente. Si ergo corpus tot virium esset aggregatum, ut ipsi aiunt, necessario semperque moveri deberet, quia ab accidentibus impediri non posset: quod tamen falsum esse deprehenditur. Praeterquam quod activitas haec essentialis cum inertia pugnat. Si namque corpus iners ad motum aeque, ac quietem est indifferens (§§. 110. 159.), passivum omnino dici debet; idem vero activum facere, est ens passivum eodem tempore et activum adserere: id quod in pudendas illidit contradictiones (§. 15.).

** Patet ex his, quae (*not.* 1.) dicta sunt, et ab eodem Physices Antecessore Nevvtono *Princ. phil.*

phil. natur. math. defin. 3. confirmatur. Illud tantummodo difficultatem movere posset; si corpora viribus destituta sunt, undenam repetenda vis attractionis, a qua et gravitatem corporis pendere post Nevvtonum docent Physici recentes, et unde corporum quorumdam affinitatem tanto conatu promovent Chemici? quid porro dicendum erit de vi repulsionis inter corpora nullo modo adfinia observata? Sed haec pura principii petitio est: nam nec quid sit attractio isthaec, et affinitas adhuc explicatum invenimus, nec si quid est restaurata illa Veterum *sympathia*, et *antipathia*, quae certe qualitas occulta est, nulliusque momenti inter methaphysicas veritates, nullam umquam caussam investigare potuerunt, nec rationes ad convincendum idoneas prodiixerunt. Quisnam autem ad certitudinem pervenit, attractionem esse vim materiae insitam, et non potius qualitatem eidem a Naturae Auctore donatam, vel ab externis circumstantiis absolute pendentem, ut aperto fatetur Ill. Nevvtonus in Epistola ad Boyleum scripta? Vid. *vit. Boyl. huius operib. praemiss.* Mac-Laurin. *Exposit. Phil. Nevvton. Lib. II. cap.* 1. §. 16. Quinimmo tantum abest, ut suam tueantur opinionem, ut nulla theoria sit in physicis adeo incerta: nam nec leges fixae dantur, quibus haec iactata vis in corporibus operatur, ut aliquando sit in ratione inversa simplici, quandoque duplicata, nonnumquam vero triplicata distantiarum; quae tamen constans esset, si materia vi propria aliam sibi adfinem attrahere posset. Idem dicatur de repulsione, pro qua multae sunt inter Physicos dissensiones: ut quidam qualitatem peculiarem materiae inhaerentem, aliqui effectum maioris adfinitatis cum aliis corporibus, Nevvtonus autem eam trans attractionis sphaeram incipere autumet, eodem modo, quo quantitates negativae in Algebra ultra o. incipiunt. *Optic. qu.* 31. Hae igitur, similesque opinionum diversitates, cordatiores de viribus his merito dubitare, easque inter incerta relinquere sinunt: uti eleganter suo more ostendit Vir nostrae aetatis eruditissimus in nupero opere *La Filosofia dell' Uomo. Part. I. cap.* 1. §. 9. *seqq.*

seqq. Ut itaque difficultas negotium facessere possit, prius ab adversariis ostendendum erit, qualitates illas esse vires materiae insitas, et ab aliqua interna caussa certo pendentes, posteaque nobis redarguendi onus accedet. Concludendum igitur, materiam esse inertem prorsus, et inactivam, nullamque ei vim motricem natura inesse, omnes tamen motus, et mutationes a caussa externa in ea provenire, ut adeo optime enunciaverit laudatus Auctor: *materiam ex se motam esse ens inintelligibile* (1): ut et alius magni nominis Philosophus; *nihil esse magis exploratum in Physica, quam inactivitatem materiae* (2).

162. Quoniam vero entis compositi essentia in partium combinatione consistit (§. 102. *), corpus vero, ut ens compositum, elementis constat (§. 159.): sequitur 7. ut corporis essentia merito reponatur in modo, quo elementa inter se coniuncta, et copulata sunt. Et quia, experientia teste, corpus quodlibet alterum de suo loco excludit * ; haec autem proprietas dicitur soliditas, sive impenetrabilitas (§. 158.): recte consequitur 8. quodcumque corpus esse solidum, sive impenetrabile * : unde, quum elementa sint partes

(1) *Una materia, che si muova da se, è per me un essere inintelligibile, e nel fatto non saprei dove trovarla in tutta la natura corporea.* Filosofia dell' Uomo *Part. I. cap.* 1. §. 8.

(2) *Il n'y ha rien de mieux prouvé dans toute la Physique, que cette inaction, et cette inertie de la matiére.* M. Wollaston *Ebauch. de la Religion Natur. Sect. V. prop.* 13.

tes corporis (§. 159.), et entia materialia (§. *eod.* *), 9. ea quoque soliditate gaudere, nemo non intelligit.

* Maximum huius materiae proprietatis argumentum est, quod pressioni resistit: corpora vero, sive firma sint, sive fluida, esse incompressibilia, quotidiana experientia docet.

** Negant aliqui propositionis huiusce universalitatem, aiuntque, exceptionem dari in luce, vel corporibus diaphanis, quae a luce penetrantur, aliisque corporibus, licet durissimis, quae a spiritu vini, oleo, liquoribus, vel igne penetrari, experti sunt Physici, atque in dies experiuntur. Sed hos in mendo cubare eadem experientia, et recta ratio evincit. Si namque lux per corpora diaphana transit; spiritus vini, oleum, vel ignis per corpora dura, veluti marmor, ferrum, aliudve, non ideo adfirmare licet corpora illa compenetrari: sed subtilissimam materiam lucis, liquoris, vel ignis corporum poros pervadere, idest foramina occulta omni materia vacua, quibus corpora valde abundant, implere, ut ita nec alia materia ubi ignis adest; nec ignis existat in loco ab elementis occupato. Idque iure meritoque optimo: nam quum elementa non in omnibus superficiei punctis se mutuo contingere possint; adeoque ubi contactus abest, quam minima loca vacua relinquant: haec omnis materiae expertia lux, ignis, vel oleum occupat, eaque implet. At quia foramina illa admodum spissa sunt, oculorum aciem effugiunt, ipsisque nudis compenetrari videntur. Vid. Musschembroek *Elem. Phys. Tom. I. cap.* 1. §. 30. *seqq.* Lux autem numquam penetratur: nam non omnes radii ab aliquo corporis puncto reflexi, vel emissi ad oculos perveniunt. Sed partim in eorum intersectione alter sistitur, alter contra progreditur; partim autem pupillam effugiunt reliqui omnes, utpote qui conum lucidum efformantes in puncto radiante verticem habentem, quo magis ab obiecto distant,

eo

eo magis divergentes fiunt, atque alios inter se radios admittunt. Haec autem in caussa sunt, ut non omnes corporis alicuius partes, nec omnia superficiei puncta videamus, quia radii inde reflexi ab aliis impediti ulterius motum suum propagare nequeunt; quidam e contrario in pupillam non ingrediuntur, praecipue quum obiecta in maxima ab oculo distantia constituta inveniuntur. Et posito, quod omnia puncta videremus, id ex radiorum multiplicitate procederet singulos fasces componentium, quorum, licet aliquot ad nos pervenire non possint, ceteri tamen se mutuo non contingentes absque obice pergunt, et in oculum ingrediuntur. Praeterea si corpus aliquod inter lucis radios ponatur, ille radiorum fascis, qui superficiem dati corporis tangit, motum suum sistit, et ultra non procedens umbram in parte opposita producit. Quae omnia indicio sunt, lucem etiam esse impenetrabilem.

CAPVT SECVNDVM.

De origine mundi.

163. QVamvis ex antecedentibus perinde, ac communi hominum consensione explorata sit mundi huius adspectabilis origo, eiusque caussa efficiens cuicumque ratione utenti clare innotescat: attamen, quia ex veteribus, maxime vero ex recentioribus saeculi nostri scriptoribus inventi sunt, qui originem illam inficiantes, et atheismum promovere nitentes, mundo aeternitatem addicere voluerunt; non abs re censuimus, doctrinam de mundi origine paullo distinctius exponere, eamque a profanis libertinorum impugnationibus vindicare.

164. Experientia constat, omnia entia in mundo quamplurimis esse obnoxia mutationibus. Sive enim spiritus contemplari velimus: non eadem est omnibus perspicacia; in iis cognitio per gradus crescit, nec nisi temporis successione sensim augetur, quandoque vero decrescit *. Sive in corporibus observationes facere cupiamus: ea, ut entia composita (§. 159.), eo maiores pluresque subeunt mutationes, quotquot e partium vel additione, vel detractione, vel denique variatione oriri possunt (§. 111.). Sive tandem super elementis, et materia generatim meditationem instituamus: haec, ut diverse modificabilis, augmenti pariter, diminutionis, et variationis capax, in magnitudine, figura, superficie, ceterisque modificationibus, permultis admodum vicibus subiecta est **.

* Teipsum consule, et nisi toto velis aberrare coelo, teque pueris praebere illudendum, fateberis profecto: in te animi corporisque vires non easdem in omnibus aetatis tuae partibus esse: plura namque nesciebas, quae postea didicisti; plura identidem ignoras, quae deinceps addisces: aliquot item virium polles gradibus, quarum antea expers eras, et quas senescente postmodum aetate amittes. Vides hinc, quot mutationibus tuque, spiritusque, quo animaris et vivis, es obnoxius.

** Elementa namque locum occupant, et in spatio sunt, ex ipsorum combinatione corpora enascuntur, eorumque aggregata maiora fiunt, quo plura elementa inter se copulantur: ex hac varia copulatione diversa quoque extensa efformantur, quorum limes est figura (§. 103.). Et corpora igi-

igitur, et elementa superficiem, figuram, magnitudinem habent, adeoque sunt limitata (§. 226.); mutabilia (§. 227.), augmento ac diminutioni subiec a. Quum itaque mundus adspectabilis corporibus, intelligibilis spiritibus, constent; Vniversum autem ex his duobus exsurgat (§.151.): corpora vero perinde, ac entia immaterialia in eo exsistentia mutabilia, ut iam demonstratum est, et ex eius definitione patet (§. 150.): evidens est, mundum, et quidquid in eo exsistit, esse mutabilia, multisque vicibus obnoxia.

165. Ex quo immediata consequutione nascitur 1. mundum, materiam, omniaque entia mundum constituentia esse mutabilia; ideoque 2. contingentia (§. 135.), 3. finita (§. 130.), 4. entia *ab alio* (§. 141.), ac proinde 5. exsistentiae suae principium habuisse, caussamque suae exsistentiae effectricem agnoscere; unde adparet 6. esse non posse necessaria infinita, et aeterna (§. *eod.*), attamen 7. esse debere creata (§. *eod.*); 8. earumque caussam, sive creatorem esse ens necessarium * (§.142.). Itaque 9. non abs re CREATVRAE, nempe *res creatae*, a Theologis appellantur.

* Sive enim corporum originem investigare velimus: ea, utpote extensa (§. 159.), ex elementis (§. *eod.*) per motum coagmentatis (§. 111.) confecta sunt. Caussa ergo externa adesse debuit, quae in substantiis illis materialibus (§. 161.) suapte natura inertibus (§. *eod.*) motum produceret, ipsisque elementis solo simplicique voluntatis actu exsistentiam daret. Sive de simplicibus entibus sermo institutatur: ea non e compositis (§. 116.), non e simplicibus (§. 117.), sed e nihilo sola creatione producti (§. *eod.*); adeoque caussam efficientem suae exsistentiae habe-

bere debuerunt (§. 115.). Caussa haec non potuit esse in mundo, nempe in classe contingentium, quia quum mundus nondum exsisteret, nullum ens mundanum exsistere poterat: non ipse mundus, quippe ens ab alio, et absurdum dicere valde foret, quidlibet semetipsum produxisse (§. 35.): praeterquam quod, quum mundus sit ens compositum, essentiamque suam in puris accidentibus consistentem habeat (§. 102. *), nullam ei vim inesse, nullamque actionem ab eo exerceri posse, quisque videt (§. 119.): ergo extra mundum, hoc est, extra contingentium seriem esse debuit. Quumque excluso contingente, includatur necessarium ei contradictorie oppositum (§. 136.), quippe inter quae non datur medium (§. *eod.* *): relinquitur, ut adfirmemus, mundi creationem enti necessario esse tribuendam, nempe Deo, ut in Theologia naturali ostendemus.

166. Delirantium ergo 10. vaniloquia; corruptaeque phantasiae partus sunt opiniones, quas LEVCIPPVS *, DEMOCRITVS **, et EPICVRVS *** venditarunt, mundum hunc nulla caussae efficientis actione, sed solo fortuito atomorum concursu productum, ut ideo entis necessarii notionem corrumperent, corruptamque delerent.

* Leucippi placita refert Laertius *Lib. IX. cap. 6. segm. 3.*: *Vniversum esse infinitum. Huius partem plenam esse, partem inanem; & elementa, mundosque ex eis infinitos esse. Sic autem fieri mundos: ex infinito per abscissionem, multa corpora figuris omnigena in magnum vacuum ferri, eaque in unum coacta unam vertiginem efficere, ac circumvolvi modis omnibus, atque ita discerni, ut seorsum similia quae sunt sui similia petant.* Quam multa paucis verbis contineantur absurda, quisque videt. Et primo quidem *mundus infinitus* nihil est, quia impossibilis (§. 48); mundi nam-

que

que notio finitum ens exprimit (§. 150.). Deinde infinitum augeri minuive nequit (§. 129.), nec ulli mutationi obnoxium est. Illa ergo corporum abscissio, nec non vertigo, et motus, quo circumvoluta feruntur, loci vero occupatio, eiusque mutatio, ut se mutuo corpora petant, tam impossibilia sunt, quam circulum esse quadratum. Sed de motu isto infra sermo cadet.

** Democriti opinio est: *Principia omnium esse atomos, atque inane . . . . Infinitos esse mundos, generationi, & corruptioni obnoxios. Nihil ex eo, quod non sit, fieri, neque in id, quod haudquaquam sit, corrumpi. Atomos praeterea & magnitudine, & numero esse infinitas, ferrique in toto, ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere, ignem, aquam, aerem, terram.* Laert. *Lib. IX. cap. 7. segm.* 12. Sententia haec eadem absurda fovet, quae superior. Nam nec numerus infinitus (§. 129. ***) nec magnitudo infinita (§. *eod.* **) possibilia sunt, nec motum illum atomi natura sua habere poterant, quum materialia ponantur, adeoque inertia (§. 113. **). Sed quia tam Leucippi, quam huius scurrae philosophici opinioni cum Epicuro conveniunt, sequenti nota omnia eorum adserta ad trutinam revocabimus.

*** Sententiam suam Epicurus explicat in *epistola ad Herodotum*, teste Laertio *Lib. X. segm.* 24., cuius summa haec est: *Nihil ex nihilo gigni: principia rerum esse duo, plenum, sive corpora, & vacuum, utraque infinita: corpora esse, vel mixta, vel principia, sive atomos; & has quidem aeternas, improductas, & immutabiles, pondere, figura, & magnitudine praeditas, aeterno sibi ingenito motu percitas per infinitum inane vagantes, sibi tandem fortuito occurrisse, variisque inde combinationibus ortis, totum hoc, quod in universo conspicitur, nulla externa accedente caussa, efformasse; nam Deos esse otiosos, quippe qui sine otio beati esse non possent.* Motum Democritus statuit perennem quidem, ac rectilineum; sed obliquum. Laert. *Lib.*

Lib. IX. cap. 7. segm. 12.; Epicurus autem, et eum eo Lucretius *de nat. rer. Lib. II. v. 216. seqq.* duplicem illum esse dixerunt, *directum* nempe, et *declinatorium*, quo atomi per vacuum illud agitatae, seque mutuo attrahentes, et repellentes casu in unum coaluerint, ac corpora confecerint, qui motus in corpore animali productus libertatem in viventibus produxerit, ut advertit Moshemius *in not. ad Cudvvort. system. intellect. cap. 5. in fin.* §. 24. Quamvis autem haec delirantium somnia a Tullio in libris *de fato*, et *quaestionum academicarum* exagitata, et risui exposita iampridem in spretum, et oblivionem abierint: quia tamen a saeculi nostri dimidio furens erupit grex libertinorum, cui illorum memoriam prope iam obliteratam in lucem revocare placuit; nobis, non sine magno dolore, tempus terere, futilesque huiusmodi ineptias examini subiicere, necesse fuit. Et primo quidem: *nihil ex nihilo gigni*, si de nihilo *negativo* intelligatur, id vero est quod in Ontologia confirmavimus (§. 48. *not.* 4.): nec umquam impossibilia ad exsistentiam perducta quisquam adfirmare ausit, quum ab impossibilitate ad non-exsistentiam concludi recte possit (§. 53.). Si vero de nihilo *privativo* dicatur, id pura principii petitio est: nam nec ab Epicuro probatum fuit, nec ab Epicuraeis umquam probari poterit. Contra ea, quum ens necessarium sit simplicissimum (§. 139.), et infinita potentia praeditum (§. *eod.* ***), omnia possibilia simplici nutu, nullaque praeexsistente materia, creare potest. Deinde; *principia rerum non alia esse, quam plenum, et inane, utraque infinita*, eiusdem furfuris est, et gratis assumtum: quum contra et entia immaterialia exsistant (§. 122.), et vacuum a Peripateticis, et Cartesianis impugnatum exsistere, nullo modo ab Epicuraeis sit demonstratum, qui tamen solo sensuum, et phantasiae ductu philosophari cupientes, nihil, nisi sensibile, admiserunt. Praeterquam quod vacuum illud purum spatium est, licet imaginarium (§. 170.*), hoc autem nihil in rerum natura mutare (§. *eod.***);
adeo-

adeoque nec corpusculis motum, et celeritatem imprimere poterat, ut effutit Epicurus *loc. cit.* Porro tam plenum, quam vacuum non possunt esse infinita: quia corpora, et spatium extensa ponuntur: extensum autem finitum suapte natura esse, iam supra ostensum est (§. 129. **). Ipsa praeterea Epicuri adsertio crassam continet contradictionem. Quum enim duas universi partes esse statuisset, *plenum* nempe, et *vacuum*: ea finita admodum esse eadem enunciatione adfirmavit, nam alterum alterius limes esse debebat. Ea ergo dicere infinita, est limites simul excludere et includere. *Atomi aeternae, improductae, et immutabiles, gravitate, figura, et magnitudine praeditae* tot ἀδύνατα sunt: quidquid enim est grave, figuratum, et magnum, est ens compositum (§. 105.), hoc est corpus (§. 159.); id vero nec aeternum (§. 141.), nec immutabile (§. 135.), adeoque nec improductum (§. 141.) esse potest, utpote contingens (§. 139. *not.* 4.), et finitum (§. 129. **): unde hospes in Philosophia sit oportet, qui ea vel pronuntiat, vel pronuntiata non ridet. 4. Atomos istas *aeterno sibi ingenito motu percitas sibi fortuito occurrisse*, ponit Epicurus: sed quam pessime rationes suas confecerit, videamus. Motum illum materiae ingenitum esse non posse, supra (§. 119. *) iam demonstratum est. Et quidem, id enti alicui ingenitum esse dicitur, quod vel eius essentiam constituit, vel ab ea pendet, videlicet eius essentiale (§. 59.), vel attributum est (§. *eod.*), at sine eo nec dari, nec umquam concipi possit (§. 56. 60.). Motus contra est purum accidens (§. 112. *) a caussa externa in materia producendum (§. *eod.* 161.), quia materia suapte natura est iners, et inactiva (§. 112. 119. *), et ad motum aeque, ac quietem indifferens, adeoque tantum abest, ut sine motu concipi nequeat, ut potius motui resistat, et quiescens observetur donec sit impulsa, et absque inertia numquam concipi possit. Idem D. Voltaire contra Epicuraeos: *Omnes sapientes*, ait, *conveniunt, materiam esse inertem, et una atomus in suo loco manens, motus huiusce essentialis ideam*

de-

destruit (1). Nec proderit Epicuro subterfugium Tolandi *ep.* 3. *ad Serenam*, per motum nempe intelligi *conatum*, sive *vim mortuam*: nam hanc esse nudam materiae inertiam, abunde satis observavimus (§. 161. *). Si vero per conatum intelligatur mobilitas, sive dispositio naturalis ad motum recipiendum, quum haec ab inertia pendeat, et quietem supponat, eam pro motu accipere, idem esset, ac a potentia ad actum ducere conclusionem (§. 112. *). Si tandem conatus ille pro vi quadam phantastica usurpetur, praeterquam quod materia quacumque vi destituta est (119. *), terminus ille, vel inanis erit, vel gratis assumtus aliam principii petitionem continebit. Falsum ergo est, motum esse materiae ingenitum, eiusque essentiale, ut somniavit Epicuri interpres Lucretius *de nat. rer. Lib. III. v.* 31. *seqq.*, eiusque pedissequus Auctor *du Systeme de la Nature Part. I. chap.* 2., de quibus mox erit dicendi locus. Sed demus paullisper ingenitum atomis motum: numquid aeternum esse poterit? Quum posito ente, eius essentia, et attributa poni debeant (§. 56. 60.); entis non aeterni attributum nequidem aeternum erit: alias enim ens essentia sua posterius poneretur, quod repugnat (§. 56.). Demus iterum atomis, et motui aeternitatem: quanam vero ratione ab iis efformatum dicemus Vniversum? non motu obliquo, ut vult Democritus: nam hic a duabus viribus, nec conspirantibus, nec oppositis, sed transversalibus producitur, ut Physici norunt; quam tamen atomi

---

(1) *Prémièrement il n' y a nulle preuve que le mouvement soit essentiel á la matière : au contraire tout les sages conviennent que la matière est indifferente au mouvement et au repos, et un seul atome ne remuant pas de sa place, détruit l' opinion de ce mouvement essentiel.* Voltaire *Tom. XXXII. Homelie* 1.

mi illae sola, simplicique vi ductae ponantur, ut adeo motum suum, per primam motus legem, uniformem et rectilineum peragere debuissent; id quod idem Epicurus agnovit: non motu directo, et declinatorio, ut huic placuit; etenim quaecumque motus declinatio vel ab alio caussae exterioris impulsu procedere, vel a medii alicuius resistentia derivare debebat, quibus primitiva directio variari posset; in atomis autem nova caussa inesse non ponitur, nec ullius medii resistentia motum declinans, quia per infinitum inane mota dicuntur. Si ergo atomi ab aeterno motae essent, numquam corpus efficere potuissent, quia quamcumque directionem perpetuo servare debuissent: si parallelam, tunc in infinitum usque productae nusquam convenissent; si oppositam, tunc vel sibi invicem occurrentes in unum idemque corpus coaluissent, vel in contrarias partes distractae numquam omnino contactum habuissent; si denique conspirantem, tunc una aliam per inane illud eadem velocitate sequuta, nullibi tamen assequuta esset. Nec ullum datur ad casum Epicuro confugium: vel enim per *casum* intelligit effectum sine caussa effectrice, et absurda loquetur, casusque vox inanis erit (§. 155.); vel effectum a caussa ignota, et improvisa productum, eoque invitus caussam efficientem admittere, sententiae vero suae absurditatem fateri cogetur. Subdunt Epicuraei, ac prae ceteris Auctor *du Systeme de la Nature Part. I. chap.* 2., id attractione, et repulsione mutua evenisse. At seposito, quod vires illae qualitates occultae, ac prorsus ignotae sunt (§. 161. *), ab his quaerimus: vires attractivae, et repulsivae erantne inter se aequales, an inaequales? Si primum, ergo aeternum quievissent, quia se mutuo destruxissent: si secundum, earum igitur alterutra deberet esse maior; non attractio, quia eo casu omnes atomi se invicem attrahentes unam materiae massam conficere debuissent, nec tot tantaque corpora a se invicem distincta efficere potuissent; non repulsio, quia se mutuo repellentes numquam

coa-

coaluissent, sed per infinitum illud inane perpetuo vagantes, dispersae ac seiunctae errare debuissent. Vides ergo, quam ineptum systema nostrae aetatis hominibus fuerit in deliciis, quamque immerito Philosophiae nomine abutantur, ut ab initio innuimus (§. 1. * et 3. **).

167. Poeticas quoque fabulas, velut aegri somnia, narrat II. LVCRETIVS *, qui pictorem potius, quam poetam agens, Epicuri deliramenta sequitur, et materiae motusque aeternitatem, ut ille, statuit; licet postea sibimet ipse parum constans, mundi aeternitatem contra Stoicos impugnaverit **.

* Qualis fuerit huius audacissimi Poetae finis, ex integro eius poemate patet, quem *de Natura rerum* inscripsit, praecipue vero *Lib. I. v.* 79.; ubi ait: *se Relligionem pedibus subiicere velle, et ad coelum usque victor ascendere*, quod et *v.* 930. repetit. Quonam autem modo pigmaeus hic Materialistarum coriphaeus Religionem obterat, et ad coelum evehatur, videamus. Principalis eius propositio est:

Naturam rerum haud divina mente coortam.
Lib. III. v. 13.

eamque integris libris I. et II. probare nititur; in quorum primo materiae aeternitatem, in altero motus necessitatem statuit, et corporum ex eo formationem. Id vero hac ratione exsequitur. Principium, quo integrum systema superstructum est, habetur *Lib. I. v.* 151.

Nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam.

Probat id incompleta inductione: *Nam omnia ex seminibus nasci: Deos otiosos esse, nihilque humana curantes*, *Lib. I. v.* 57. *Nihil esse in Mundo, nisi corpus, et vacuum*:

Omnis, ut est, igitur per se natura, duabus
Consistit rebus; nam corpora sunt, & inane.
I. v. 420. *Cor-*

Corpora esse, *alia simplicia*, *alia vero mixta*:

Corpora sunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quae constant principiorum.
Ibid. v. 484.

Principia ella esse solido, *aeterno ib. v.* 501., *et immutabili corpore constantia v.* 585., *ex quibus corpora coaluerint v.* 503.: *item minima*, *insecabilia*, *aeterna v* 528. *ad* 635., *infinita v.* 957. *et per spatium infinitum v.* 983. *volitantia*, *tandem sibi occurrentia in unum coire*. *Ib. v.* 1023. *Motum esse*, subdit, *vel a propria corporum gravitate*, *vel ab externo ictu productum*. *Lib. II. v.* 86., *eoque motu continuo percita corpuscula*, *varias diversasque corporum massas efformasse*, *ib. v.* 94. *seqq.*: *motum tamen illum non directum fuisse*, *sed declinatorium*, *v.* 217. *seqq.* Principia illa, sive atomos, esse figura, et magnitudine praedita alibi fatetur, ubi adserta in unum colligit:

Et quoniam docui, *cunctarum exordia rerum*
Qualia sint, *et quam variis distantia formis*
Sponte sua volitent aeterno percita motu:
Quoque modo possint ex his res quaeque creari.
Lib. III. v. 31.

Vides hinc, quam bene cum Epicuraeo conveniat impudentis huius Poetae systema, utpote lapso illo (§ 166. ***), hoc quoque corruat. Id dumtaxat addendum putamus, Lucretium in tot circulos, principiique petitiones incidisse, quot sunt in suo poemate propositiones: speciatim vero falso principio laborare, ad quod probandum, in fallaciam incidit Scholis dictam *ignorationis elenchi*: nam alind proponit, aliud probat. Enunciat quidem: *nihil ex nihilo gigni* DIVINITVS: probat autem, *omnia* NATVRALITER *nasci e seminibus*: *Lib. I. v.* 160. *seqq.*, nec ultra progreditur. Si ergo propositionem suam non demonstravit; contrariam autem sufficienter ostendimus (§. *eod.*): Principium illud falsum esse, iure concludimus. Quod autem addit, motum in atomis, vel a propria gravitate, vel ab externo ictu productum, id ruentem Poetae caussam aperto prodit. Etenim, si motus esset effectus gravitatis, versus quod

quod centrum corpuscula illa movebantur? Si ex eius sententia, nihil est in mundo, nisi corpus, et vacuum *l.* 420. (quod tamen falsum esse supra (§. *eod.*) ostendimus), ubinam quaeremus eus, quorsum atomi gravitate ductae gravitabunt? Sed coarctemus magis argumentum, ne ullum supersit libertino refugium. Quoniam motus ille gravitatis effectus esse dicitur, vel ea corpora habebunt commune centrum, vel non: si primum, tunc propria gravitate omnia ad centrum tendent, unamque massam efficient; si secundum, tunc motu rectilineo ab illa gravitate producto in directum continuo ferentur, et per spatium illud infinitum perpetuo vagabuntur, nec umquam coibunt, aut quiescent. Superest, ut fateatur, motum illum produci debuisse ab impulsu caussae alicuius externae. Haec vero caussa urgens non poterat esse plenum, sive corpora, vel atomi, quia inertes (§. 161. *), ac proinde, ut moverentur, impelli debebant; non vacuum, quia quum ponatur esse spatium, nihil poterat in interna rerum natura mutare (§. 107. **.), nec motum corporibus imprimere (§. 109. *): praeter corpora vero, et vacuum, nihil in mundo esse, ipsemet asseruit *loc. cit.* Igitur caussa haec impellens in mundo non erat: ergo extra mundum, nempe extra classem corporum et vacui, est invenienda. Vide, ut ex iisdem falsis Atheorum principiis Entis necessarii exsistentia demonstrari possit. Tandem adsertio: *corpora illa esse infinita, et immutabilia*, apertam continet contradictionem: nam si corpora, ergo extensa (§. 159.); si extensa, ergo composita (§. 105.); si composita, ergo finita (§. 129. **.); si finita, ergo contingentia (§. 141.); si contingentia, ergo mutabilia (§. 135.).

** Et quidem *Lib. V. v.* 325. Stoicorum sententiam de mundi aeternitate respuens, palinodiam canit. Ait enim:

Praeterea; si nulla fuit genitalis origo
Terrai, et Coeli, semperque aeterna fuere;
Cur supra bellum Thebanum, et funera Troiae,

Non alias alii quoque cecinere poetae?
Quo tot facta virum toties cecidere? nec usquam
Aeternis famae monumentis insita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
Natura est Mundi, neque pridem exordia cepit.
Denique Natura haec rerum, ratioque reperta est
Nuper, et hanc primum cum primis ipse repertus
Nunc ego sum . . . . .

Quoniam ergo haec referre tantum, est confutare: videant, quaeso, recentes Lucretii discipuli, ne mundi aeternitatem saepius inculcando, Magistri manes turbent, eumque ab inferis ululare cogant.

168. Quemadmodum autem victis ducibus omnis in fugam sagata turba vertitur: ità everso systemate Epicuraeo, omnes fugati sint oportet eiusdem profani sectatores, ii praecipue, qui scribendi pruritu, ac novitatis studiò invasi, coctam Epicuri, ut aiunt, crambem millies recoxerunt. Huius commatis est 12. Auctor libelli SYSTEME DE LA NATVRE *, qui Lucretii doctrinas poetico habitu ablato, fusa oratione, ac diversa lingua exprimens**, Religionem, ac Principatum adeo offendit, ut melius esse duxerit latere, opusculum vero illud sub falso defuncti nomine clam edere ***. Licet autem maxima erroneas doctrinas impudentia scripserit, in variis tamen eius libelli locis contraria docuit, palinodiamque invitus cecinit ***.

* Libellus hic nostris hisce temporibus lucem aspexit, statimque ab omnibus paene Europae Prin-

Principibus igni damnatus fuit (1). Eum *kabbalae philosophicae codicem audacissimum* appellavit D. de Seguier in *Requis. habita in Comit. Gallic. ann.* 1770., et Voltaire *philippicam contra Deum*. Totius operis finem esse ait Auctor: *homines ad Naturae cognitionem perducere*: ideoque in duas id partes distribuit, in quarum prima Cosmogoniam; in altera Theogoniam pertractare se velle proponit. Id vero quonam modo confecerit, observemus. *Naturam*, ait: *vastum hoc rerum exsistentium aggregatum, nihil aliud exhibere, praeter materiam, et motum; eorumque collectionem omnium caussarum, et effectuum in mundo immensam, continuamque catenam exhibere, quorum summa Natura appellatur* (2). Eam propositionem ita demonstrat: *Sed dicet aliquis, undenam Natura haec suum accepit motum; respondebimus, a seipsa; ea namque est magnum illud totum, extra quod consequenter nihil exsistere potest* (3). Si totum hoc ar-

---

(1) *Cette monstrueuse production parût vers le milieu de l'année* 1770., *et tout de suite ce livre fut condamné à être brûlé dans presque tous les Royaumes de l'Europe, et nommément en France, par arrêt du Parlement de Paris du* 8. *Août de la même année*. Paulian. Dictionn. de Physiqu. Supplem. art. *Systeme de la Nature*.

(2) *L'Univers, ce vaste assemblage de tout ce qui existe, ne nous offre par tout, que de la matiére, et du mouvement: son ensemble ne nous montre, qu' une chaîne immense, et non interrompue de causes, et d' effects . . . . dont la somme totale fait ce que nous appellons la Nature*. Systeme de la Nature Part. I. chap. 1.

(3) *Mais, nous dirat-on, d' où cette nature a-t-elle reçu son mouvement? nous répondrons, que*

argumentum in formam redigamus, videbimus, illud ineptissimum esse circulum, cuius nulla ratio haberi debet. Ἐξεργασία eius talis est: *Motus in Natura a nulla externa caussa productus est: eum enim a seipsa accepit; idque ex eo, quia praeter materiam et motum aliud exsistere nequit. Nihil autem in Natura potest exsistere, praeter materiam, et motum, quia praeter materiam et motum nihil aliud exsistit.* Deinceps de materiae origine agens, *eam esse*, ait, *necessariam et aeternam, motumque ipsi coaeternum, idque ob eam rationem, quod materia semper exstitit, et a tota aeternitate se movit, quum motus sit necessaria consequutio eius exsistentiae, essentiae, et proprietatum primitivarum* (1). Nunc ab Auctore quaerimus, quonam loco demonstravit materiam semper extitisse, motumque eius exsistentiam, essentiamque necessario sequi? Nonne plures circuli, quam verba

---

que c'est d'elle méme, puisq' elle est le grand tout, hors du quel consequemment rien ne peut exister. Part. I. chap. 1.

(1) *Lorsq'on demandera d'où est venue la matiére? Nous dirons, qu'elle a toujours existè. Si l'on demande d'où est venu le mouvement dans la matiére? Nous repondrons, que, par la même raison, elle a dû se mouvoir de toute éternité, vu que le mouvement est une suite necessaire de son existence, de son essence, et de ses propriétés primitives . . . Ainsi, contentons-nous de dire que la matiére a toujours existé, qu'elle se meut en vertu de son essence, que tous les phénomenes de la Nature sont dus aux mouvemens divers des matiéres variées qu'elle renferme.* Part. I. chap. 2.

ba in impudentissimo hoc libello inveniuntur? Si namque inanes hosce terminos in ordinem redigamus, haec rhapsodia prodibit: *Materia semper extitit, et a tota aeternitate sese movit*. Dem. *Semper enim extitit materia, et ideo semper mota est*. Quis, quaeso, talia audiendo temperet, nesciinus a risune, an a lacrymis? Totum autem opusculum illud duobus hisce fundamentis, materiae nempe, motusque aeternitatem, superaedificatum videtur: unde quum basis nulla sit, quia nihil continet, non amplius erimus de eo refutando solliciti.

** Et quidem libelli huiusce examen confecit Vir eximius Antoninus Valsecchi in aureo opere *La Religion vincitrice*, cuius initio plurima loca cum Lucretianis parallela contulit, eumque e Lucretii poemate fidelissime exaratum ostendit: ut adeo auctorem illum verum, ac impudentem plagiarium potius, quam minima ex parte eruditum vocare deceat. Nihil enim in eo reperire licet, nisi Lucretium soluta oratione. Gallico vero idiomate expressum.

** Nimirum impius hicce libellus Mirabaudi nomen prae se fert, qui unus ex quadraginta, et epistolarum Magister perpetuus Academiae Gallicanae, Tassi *Ierusalem liberatam*, et *furentem* Areosti *Orlandum* gallice verterat, et decem ante annis e vita decesserat. Sed alium fuisse huiusmodi errorum scriptorem, vel ex eo patet, quod Mirabaud nullam physicarum rerum habuerat cognitionem, cuius lautitiae passim in absurdo libello diffusae leguntur, et ex aliorum Academicorum testimonio, nulla umquam laudis cupiditate, vel ambitione laboraverat (1).

 *** Vt

(1) *L' Auteur pour empêcher toute récherche & toute poursuite contre lui, fit paroître son ouvra-*

*** Vt autem clarius Scriptoris, et libelli huius impostura patescat, ad innumeras eius contradictiones animum advertere oportet. Ex iis vero unam, quae cum principio ab ipso praestructo e diametro pugnat, quaeque principium ipsum destruit, seligamus. Principium quidem, ut supra iam vidimus (*not.* 1.), est: *materiam esse necessariam, & aeternam; motum vero eius essentiale ipsi coeternum.* Materia ergo ex eiusdem assertione simplex, et immutabilis esse debet, et si quando simplicitas Auctori *quid nimis* videatur, saltem homogenea. Ipse autem *Part. I. chap.* 1.: *materias*, ait, *variissimas, & infinitis modis combinatas, sine requie diversos motus recipere, & communicare* (1): tum *chap.* 2. subdit: *maximum esse errorem credere, materiam esse corpus homogeneum, cuius partes inter se non differant, nisi in differentibus modificationibus* (2). Nonne hoc est, materiam compositam, mutabilem, heterogeneam facere? En primam Auctoris contradictionem. Deinde, si motus est materiae attributum, erit ei

---

vrage sous le nom de M. Mirabaud Secretaire perpétuel & l'un des quarante de l'Academie Françoise, mort à Paris dix ans auparavant, à l'âge de 86. ans. Mais personne n'a été la dupe de cette méchanceté. Paulian Dict. de Physiqu. Supplem. art. *Systeme de la Nature.*

(1) *Des matières trés variées & combinées d'une infinité de façons reçoivent & communiquent sans cesse des mouvemens divers.* Part. I. chap. 1.

(2) *C'est un erreur de croire que la matière soit un corps homogene, & dont les parties ne different entre elles, que par leurs differents modifications.* Part. I. chap. 2.

est natura insitum: materia ergo non poterit non moveri, adeoque numquam quiescet, quia sine motu concipi nequibit. Ipse tamen *Part. I. chap. 10.* materiam esse, ait, inertem, nec corpus moveri posse, nisi ab alio impulsum: *Tout corps est mu par quelque corps qui le frappe.* Praeterea, quum *chap. 2.* dixisset: *Que la matière se meut par sa propre énergie*; postmodum vero *ibid.* quum motus in spontaneos, et acquisitos divisisset, illosque materiae vi propriae energiae competentes; hos autem cum ea ab aliis caussis extraneis communicatos esse dixisset, concludit: *motus spontaneos revera non dari, sed omnes esse acquisitos* (1). Ex ipsius ergo verbis infertur motum esse materiae accidens, non attributum: adeoque principium a semet insanabili contradictione destructum. En quot circulis, et contradictionibus integrum *Naturae Systema* est superstructum, de quo tanta praedicant hodierni Litteratores.

(1) *Les mouvemens, soit visibiles, soit cachées, sont appellés mouvemens* acquis *quand ils sont imprimés à un corps par une cause étrangere ou par une force existante hors de lui. Nous appellons* spontanés *les mouvemens excités dans un corps qui renferme en lui même la cause des changemens que nous voyons s' opérer en lui; alors nous disons que ce corps agit & se meut par sa propre énergie . . . Cependant, si nous regardons la chose de plus près, nous serons convaincus, qu' a parler striftement, IL N' Y A POINT DE MOUVEMENS SPONTANES dans les differens corps de la Nature, vu qu' ils agissent continuellement les uns sur les autres, & que tous leur changemens sont dûs à des causes soit visibiles soit chachées, qui les remuent.* Part. I. chap. 2.

169. Quum ergo casus sit vox mente cassa (§. 155.), nec unquam dari possit (§. eod.); mundus autem materialis, utpote contingens (165.), sit ens ab alio (§. eod.), adeoque creatus * (§. eod.); immo vero, quia ordinatus, et ad finem directus (§. 154.), caussam sui efficientem supponit summa intelligentia, et sapientia praeditam (§. eod.): sequitur 13. ut a consueto philosophandi more deflexerit MAVPERTVISIVS, dum *aliquam probabilitatem adhuc superesse*, enunciavit, *qua dici queat, mundum hunc fuisse a casu productum* **.

* Vt autem omnino incredulis os occludamus, iuvabit paucis adhuc argumentum confirmare, ac materiae creationem a falsis eorum impugnationibus vindicare. Ponamus itaque, materiam esse increatam. Erit ergo a nullo dependens, nempe ens necessarium (§. 139. n. 13.), et a se (§. eod. n. 17.); adeoque singulae eiusdem particulae necessariae itidem erunt, et independentes. Quia vero ens necessarium est infinitum (§. eod. n. 17.), et immensum (§. eod. n. 16.), idest ubique existens (§. 138.), omnes materiae particulae illimitatae et immensae esse debebunt, scilicet nullis illae limitibus coerceri poterunt, singulae tamen in omni loco exsistent. At id absurdum esse, testatur experientia, nihilque est in Physica exploratius quam materiae limitatio: nam quodlibet corpus est in aliquo loco, aliudque corpus e suo loco excludit, et ab uno in alium locum transferri potest, in quo motus, Physicae fundamentum, constituitur. Praeterea ens necessarium est simplicissimum, atque infinita vi activa praeditum (§. 139.), materia vero est ens compositum (§. 22.), et iners (§. eod.), quae motum habere nequit, nisi per caussae exterioris impulsum (§. 161.): nam motus est purum ac-

accidens (§. 112. *), nullamque necessariam habet a materia dependentiam, ut hactenus demonstratum est. Respondet Lucretius *de nat. rer. II. v. 80. seqq.*, eiusque ductu Spinoza: *Corpus motum, vel quiescens, ad motum vel quietem determinari debuisse ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio; & illud iterum ab alio, & sic in infinitum. Ethic. Part. II. prop. 13. lem.* 3. Haec autem motuum series, quaerimus, estne rectilinea, an circularis? rectilinea quidem esse nequit, quia haec corporum inertium series, quam longa est, tamquam unum ens consideratur, idque iners; adeoque et caussa motrix adesse debuit extra seriem, quae primo corpori motum impressit, unde integra motuum series enata est: alioquin illa subordinatio absque caussa prima nihil esset (§. 26. not. 5.). Subdit Auctor *du Systeme de la Nature*, eam esse circularem: *nam unus motus ex alio nascitur, sibique vicissim sunt caussae & effectus; itaque vastum generationum, & corruptionum circulum efformant* (1). Sed series circularis nulla est, et ad fallendos imbecilles adcommodata. Etenim, quum in serie circulari A. e. g. moveat B, hoc C, et ita porro usque ad Z, ab hoc tandem moveatur A, unde circulus oritur: eo casu A seipsum movebit mediate, intercedentibus nempe aliis corporibus, et tunc motus non exsistens seipsum producet, quod est impossibile. Motus ergo, eiusque exsistentia, est maximum, idque completum argumentum, quo entis necessarii exsistentia demonstratur. Semper enim debet inveniri extra mundum caussa motrix, eaque necessitate naturae exsistens, a qua motus ille sit in materia

---

(1) *Leurs mouvemens naissans, sans interruption, les uns des autres; ils sont alternativement dee causes & des effets: ils forment ainsi un vaste cercle de générations, & de destructions &c.* System. de la Natur. *Part. I. chap.* 2.

productus. Addunt aliqui motum intestinum in corporibus, qui licet extrinsecus non observetur, in eorum tamen particulis exsistit, et quo partes illae continuo percitae nusquam quiescunt. Sed motus ille intestinus est nuda principii petitio; nam eum nusquam probatum reperimus: non ratione; nam materia, omnesque eius partes sunt inertes: non experientia; nam nullibi motum illum nec observarunt, nec observationi subiicere potuerunt. Praeterquam quod, si motus ille intestinus adesset in corporibus, continuus in mundo deberet audiri concentus: in Physica namque demonstratum est, sonum a fremitu partium in corpore ab ictu externae caussae producto gigni, qui cum aere communicatus ad aures usque propagatur. Si ergo particulae corporum continuo moverentur, continuam quoque illius sonitus oporteret esse sensationem: id quod contra evenire experientia docet. Fatendum est igitur, materiam, atque adeo mundum sensibilem fuisse creatum ab Ente necessario, omnesque proprietates, accidentia, et qualitates materiae, omnibusque corporibus in mundo exsistentibus ratione systematis competentes, ut est gravitas, attractio, aliaeque similes, ab eo accepisse.

** Philosophus hic in Physicis rebus peritissimus in suo opusculo *Essai de Cosmologie*. *Part. I.* Nevvtoni argumenta existentiam Dei firmantia debilitatis accusans, praecipue vero illa, quae a corporum coelestium circa commune centrum per proprias orbitas revolutione petuntur: *Quamvis*, ait, *improbabile sit, casum in corporibus motum produxisse eo modo, quo moventur: remanet tamen aliqua probabilitas, quae sufficit, ne praesumi possit, hunc ordinem rerumque uniformitatem necessarium electionis effectum esse*. In qua opinione magnopere fallitur Vir eruditus; nam ne improbabile quidem dici potest, quod impossibile est, et quum casus sit terminus inanis, atque adeo *nihil*, cuius nullae sunt adfectiones, nulla vis, nullum attributum, impossibile prorsus est, motum ullum casu productum in materia fuisse. Quia ergo ut quid,

quidpiam probabile dici possit, debet prius esse possibile (§. 114. *Log.*), nulla probabilitas adhuc superesse poterit, in quo nulla possibilitas nec externa, nec interna est. Quod autem addit, non *posse praesumi hunc ordinem electionis effectum esse*, indignum prorsus est Viro Philosopho: ordinis enim notio electionem necessario requirit; idque Maupertuisio erat magis exploratum, qui universum systema planetarium, omnes siderum motus, planetarum circa orbitas suas revolutiones, omnes item physicas veritates perspectas habuit. Sed ut vetera praetermittamus, maximum electionis argumentum est *homo*, qui in cognitione, sensione, universa corporis organici structura, Creatoris sui sapientiam, potentiamque infinitam ostendit. Maxima praeterea stultitia foret, ubi constans ordo, series rerumque uniformitas adest, inde electionem excludere: ut adeo recte dixerit D. Voltaire, se hoc argumento vivide fuisse penetratum: *Datur electio; ergo dari debet Auctor sua voluntate agens. Electio vero ista iam facta est: nos enim sentimus, & percipimus vi relationis a Deo inter nostras perceptiones, atque organa positae* (1).

(1) *Mais raisonnons de bonne foi: n' apercevons nous pas un choix dans tout ce qui existe? pour quoi y a-t-il un certain nombre d' espèces? ne pourrait-il pas évidemmet en exister moins? ne pourrait il pas en exister davantage? pourquoi, dit le judicieux Clarke, les planètes tournent-elles en un sens plutôt, qu' en un autre? j' avoue que parmi d' autres argumens plus fort, celui ci me frappe vivement: Il y a un choix; donc il y a un maître qui agit par sa volonté. Cet argument est encore combattu par nos adversaires. Vous les entendenz dire tous les jours: Ce que vous voyez est ne-*

170. Quoniam autem Entis infiniti opera, eorumque rationes, et agendi modi ab ente finito ne vix quidem concipi queunt (§. 131.), ideoque homo in maxima rerum obscuritate, ignorantiaque versatur (§. 104. *Log.*), licet haec respectu infinitae intelligentiae sit relativa (§. 20. * *Log.*); quae vero nobis impervia sunt pro impossibilibus venditare, praecipitantia est (§. *eod.*), et error (§. 111. *Log.*): consequens est 14. ut turpissimi erroris reprehendi debeant, qui, quod mundi creationem concipere nequeunt, eam pro impossibili venditant. Non minimum inter hos locum occupat TELLIAMEDES *, cuius tot, tantaque sunt monstra, et absurda, quot ne in aegroto quidem febri aestuante, ac delirante observari possunt **.

* M. de Maillet, natione Gallus, quum illius Regionis Consul diu in Aegypto fuisset, librum ibi

---

necessaire, puisqu' il existe. Hé bien, leur répondrai-je, tout ce qu' on poutra deduire de votre supposition, c' est que pour former le Monde il était nécessaire que l' intelligence suprême fit un choix; ce choix est fait; nous sentons, nous pensons en vertu des rapports que Dieu a mis entre nos perceptions & nos organes. Examinez d' un côté des nerfs & des fibres, de l' autre des pensées sublimes: & avouez, qu' un être suprême peut seul allier des choses si dissemblables. Voltaire *Tom. XXXII. Homel. 1. pag.* 420. *edit. Basl.*

Ibi scripsit *de Aegypti descriptione*, in quo haud vulgare critices dedit specimen: postea tamen alium edidit libellum, ubi se falso iudicio; libera admodum phantasia praeditum, Physicesque prorsus ignarum praebuit, eumque inversi nominis sui anagrammate inscripsit: *Telliamed, ou entretiens d'un Philosophe Indien avec un Missionaire François sur la diminution de la mer*. In hoc porro materialismum docens, Indo Philosopho sub *Telliamedis* nomine ficto plurimas absonas adscripsit sententias, quae, si Ill. Para fides habenda, Auctoris numquam fortasse fuerunt. Verosimilius enim esse videtur, Consulem hunc litteris non bene eruditum, meditationes suas, et observationes adhuc indigestas Abbati *le Mascrier* tradidisse, qui omnia illius inventa, et excogitata in ordinem redegit, et concinnata supplevit: eoque magis in hanc sententiam propendet animus, quo Auctorem accepimus Massiliae mortuum anno 1738. de Religione aliter omnino sentientem; *Telliamedis* autem liber octo circiter post annis lucem aspexit.

** Integrum huius libelli systema, sive potius deliramenta, referemus. Ait primo: *Se materiae creationem nullo modo posse concipere; eam ergo esse impossibilem*. *Tom. I. p.* 69. Sed hic contra Logicae regulas aperto peccat, praecipue vero contra *Can.* 2. & 3. *Schol.* §. 101., eique respondet D. Voltaire: *argumenta contra creationem omnia ad id redigi, quia concipi nequit modus, non quia in se impossibile sit: ea vero nihil concludere; nam eo ipso, quo nobis exploratum est ens infinitum existere, id ab ente finito concipi non posse, demonstratum est*.(1) Deinde rem omnino inconcepti-

(1) *Les argumens contre la creation se réduisent à montrer qu'il nous est impossible de la concevoir, c'est à dire d'en concevoir la mani-*

ceptibilem, mundi nempe aeternitatem, statuere nititur: *Terram*, ait, *ad polos productam*, *in aequatore esse compressam*, *idque radiorum solarium percussione evenisse*. Vides hic Auctorem in Physica peregrinum, cuius error in Cosmographia palpabilis tironibus ipsis est pervius, ut nulla egeat refutatione. Idem dicatur de *perpetua illa maris imminutione*, quam tanto conatu promovet, tantaque serenitate adserit, se in mari Mediterraneo observasse: ea namque non est, nisi fortuitus maris recessus, cuius caussa pueris etiam innotescit. Etenim si maris aquae alicubi imminutae videntur, et aliae quoque plagae antea in sicco positae maris partem admittunt, sinusque conficiuntur; et licet magna aquarum copia in vaporem quotidie convertatur, et per atmosphaeram dispersa fluctuet; hanc tamen non transcendit, sed quamprimum densitatem adquirit, demo in terram decidit in multiplices conversa formas, sive pluviae, sive roris, sive nivis aut grandinis: ut adeo maris aquae numquam perpetuam illam subeant immu-

---

nière, mais non pas qu'elle soit impossible en soi; car pour que la création fût impossible, il faudrait d'abord prouver qu'il est impossible qu'il y ait un Dieu; mais bien loin de prouver cette impossibilité, on est obligé de reconnaître qu'il est impossible qu'il n'existe pas. Cet argument qu'il faut qu'il y ait hors de nous un être infini, éternel, immense, tout puissant, libre, intelligent, & les tenèbres qui accompagnent cette lumière, ne servent qu'à montrer que cette lumière existe; car de cela même qu'un être infini nous est démontré, il nous est demontré aussi qu'il doit être impossible a un être fini de le comprendre. Voltaire *Trait. de Metaphysiq. chap. 2. repons. à la prem. obiect.*

mutationem. Hoc igitur falso, imaginarioque fundamento reliqua inventa superstruit Telliamedes: *Terram*, inquit, *aquis antea prorsus obrutam, nullas valles, aut montes habuisse: imminutis vero continua evaporatione aquis, iisque a globis lucidis propinquioribus attractis, sensim excrevisse montes, atque viventia ab aquis in sicco relicta scorsim in homines, quatrupedes, volatilia, plantasque conversa: quumque in dies aquae evaporatione illa, & attractione imminuantur, saeculorum decursu, terram in sicco relictum iri, ac a solis radiis indesinenter inflammatam demum fieri* astrum ardens; *& ita ab opaco in* corpus lucidum, *solemve conversam tamdiu lucis torrentes emissuram, donec combustibilis materia consumta fuerit. Solem contra maculis primum, crustáque obductum sensim in corpus opacum evasurum, usque dum factis in eo iisdem, ac in terra mutationibus, ipse denuo in lucidum; terra vero in opacum corpus redeat. Has metamorphoses in Vniverso fuisse, ac perpetuo futuras; nec illud umquam coepisse, neque desiturum.* Praeter falsum illud principium, quod super innuimus, quodque in ineptam principii petitionem totum systema resolvit, est et aliud enunciatum principii loco adhuc assumptum: *In Telluris montiumque visceribus immensam marinorum testaceorum copiam in lapides conversam, variisque terrae stratis superne obtectam, repetitis observationibus fuisse repertam*: unde tuto concludit: *Terram prius immensum aquarum volumen nucleo suo solido circumpositum habuisse, quod sensim in vapores evanuerit.* At, praeterquam quod fabula isthaec sola narratione evanescit; multoque magis in derisionem abit phantastico illo aquarum imminutionis principio, omnibus Physices doctrinis adverso, de marinorum testaceorum inventione aliqua addere adhuc placet, quippe quam tanto conatu promovent, et exaggerant hodierni Philosophi, cuiusque longum examen conficit illustris D. de BUFFON *Hist. nat. Tom. I. & II.*, ubi de Telluris theoria fuso calamo agit. Certissimum est, atque unanimi Historicorum, etiam profanorum, ut et gentium omnium consensione firmatum, Or-

bem hunc olim diluvio divinitus misso absorptum, et aquis fuisse sepultum, sicque per aliquot menses exstitisse; donec immensa illa aquarum copia evanuerit, terramque in sicco reliquerit. Hac ergo alluvione Tellus dissoluta, animalia illa limo admixta in se recepit, quae postea temporis progressu, et succorum petrificantium ope in lapides conversa fuerunt: id quod nec ipse diffitetur Boulangerus in libro *l' Antiquitè dèvoilèe par ses usages. Avant propos*; nec qui veritatem hanc negare ausint, adhuc inventi sunt. Nec obstat, quod idem Buffon strata ista horizontalia, et regularia, quae in Tellure observata refert, nedum innumeros testaceos, crostaceos, aliasque marinas productiones huc illuc dispersas, et in lapides conversas, nullo modo diluvii effectum esse posse contendat. Nam si diluvium ex eiusdem confessione miraculum fuit *art.* 8., et a caussis naturalibus produci non potuisse, ipse contra Burnetum, Wisthonum, et Woodwardum impensius urget *Tom. I. art.* 5., nihil obstat, quo minus novo miraculo Tellurem dissolutam in strata horizontalia, et regularia supremus Naturae Auctor disposuerit, ut tremendi illius phaenomeni memoria posterioribus saeculis remaneret. Sed a Sacris Litteris dissolutionis illius nullam fieri mentionem, ait Buffon. Id quidem certum est: nullam tamen mentionis illius videmus necessitatem, quum immediata, ac legitima consecutione ab ipsa facti narratione deduci possit. Sed posito, quod Buffon vera dicat, non inde inferri poterit impium Telliamedis delirium. Ille enim ex tot observationibus inferre vult, Terram non simul, sed alternis a mari opertam, atque inde phaenomena illa enata fuisse. Materiae aeternitatem ille non admittit; mundi creationem non inficiatur; sed eam instantaneam fuisse optime ostendit, nec usquam orthodoxae doctrinae se opponit: ut adeo inepte blaterent scioli quidam, qui Cl. hunc Virum eiusdem fere cum Telliamede opinionis fuisse dicunt. Ceterum legatur Telliamedis confutatio, quam egregie confecit Vir optime de Religione meritus

At

Abbas Para *Théorie des êtres insensibles Trait. IV. art.* 2. §. 902. *seqq.* Intelligis hinc, apposite quondam monuisse Varronem: *vix aegrotum somniare quidquam tam nefandum, quod non aliquis dixerit Philosophus.*

171. Eiusdem commatis sunt 15. incendia, alluviones, innumeraeque calamitates, quae ad texendam longam saeculorum seriem efficta, tragico stilo expressit D. BOULANGER *. Ea namque non e vetustis monumentis, non ex veterum traditionibus, sed ex inordinato furentis phantasiae penu depromsit, et pro veris venditavit.

* Miserum quidem, sed verum est, libertinos recenti spiritu philosophico abreptos, dum de impugnanda veritate agitur, tot fabulas effingere, quot ne pueris quidem illudendis aniculae comminiscuntur. Notum est, D. Boulanger unum ex illis esse, quibus Christiana Religio, et pietas tam invisa est, ut plurimas adversus eam scripserit exsecrationes: idque ex impio eiusdem opusculo patet, cui titulus: *Le Christianisme dévoilée*: maxime vero atheismum promovet in libello postumo *Récherches sur l' origine du despotisme oriental*, cuius initio epistolam ad amicum quemdam praemittit, in qua Religionis desertor, Societatis persecutor, Imperii acerrimus hostis, nullis ambagibus, effraeni licentia, impudenti vero audacia perhibetur, ut mirum videri debeat, cur non adhuc igni damnatus fuerit, et virus tam pessimum in animos hominum se insinuare, maximo Christianismi, et Reipublicae detrimento, sit relictum. Is pathetica oratione generis humani calamitates, incendia, alluviones deflet *Sect. II. seqq.*, quae tamen nullibi, nisi in mentis suae fictione, exstiterunt. Postea vero, ut mundi aeternitatem firmaret: *Mundi creationem*, ait, *non esse*,

se, nisi eiusdem restaurationem, quippe quam in- numerabilia saecula praecesserunt, quae tamen ipsi quoque vetustissimae aetati admodum obscura fue- runt (1). Si quaeras, undenam ipsi tempora illa remotissima, et obscura innotuerint; respondebit illico: se non ab historia id didicisse, utpote quae *adhuc in infantia sit, & in chaos dereli- cta* (2); sed ab ipso rationis, spiritusque philoso- phici fonte hausisse. Quasi vero facta hominum, temporumque vices, tamquam propositiones uni- versales, non sensibus, sed ratione percipi possint. Sed, si obscurissima ipsis quoque remotissimis temporibus erant, quonam modo ipsi nullis subsi- diis innotescere potuerunt? Si temporum ipsorum monumenta requiras, non alia dabit, quam ina- nes fabulas a fabulis deductas *Sect. III. seqq.*, quaeque testes habent vetustiores Telliamedem, D.

---

(1) *A l'égard des temps qui les ont précé- dés, ils sont pour moi comme s'ils n'eussent ja- mais été; bien qu'ils aient existé, ils ont été si obscurs, même pour l'antiquité la plus recu- lée, que la plupart des peuples anciens se sont imaginé voir la création & la naissance de tou- tes choses dans les anecdotes deja corrompues de ce qui n'étoit que le renouvellement du monde; erreur grossiere, qui en a fait naître une infinité d'autres*. Recherch. sur l'orig. du Desporism. Orient. *Sect.* 3.

(2) *L'histoire est encore en enfance; elle est restée dans le chaos d'où on a eu le courage & l'adresse de retirer tous les arts & toutes les au- tres sciences; & c'est cependant dans l'histoire que sont deposés tous les titres de la Société & tous les monumens de ses égarements*. Ibid. Let- tere de l'Auteur. *pag. xx. edit. du* 1775.

D. de Buffon, et praefationem tomi 3. operum Lehmanni, *Ibid. pag.* 18. *not.* Nimirum omnis illa narratio, praeter furentes saeculi XVIII. somniatores, nullum habet ultra contestem, ut ipsemet in enunciata epistola fatetur: nam omnes historias, et traditiones respuit *loc. cit. & Sect. II.* Quid autem dixeris ei, qui omnes caecutire, se solum longius in saeculorum tenebris videre putat, rerumque omnium veritatem ingenii sui modulo metitur? Quum in historia nullum, praeter imaginationem, monumentum consulat, in philosophando principii tantum petitiones struat, in scribendo omnes poetices adparatus adhibeat: numquid philosophum illum, et non potius poetam in fingendo liberrimum, in enunciando furentem, agere, opusculum autem istud philosophicum, vel scientificum, an romanensem magis fabulam omnes verisimilitudinis et credibilitatis fines transilientem, iure dicemus? Quae quum ita sint, satius silere putamus, quam in refutandis huiusmodi ineptiis verae Philosophiae nervos impendere.

172. Nec ullum r6. libertinis poterit esse confugium ad antiquitates, et chronologias Sinenses, quas ad probandam mundi aeternitatem, ac debilitandam Mosis historiam excogitavit, et iactavit ABBAS DE PRADES *, cuius effata nulla ratione fulta, Auctoremque suum critices omnino ignarum arguentia, merito litterariae Reipublicae indignationem, omnium vero sapientum reprehensionem ei pepererunt.

* Auctor hic in sua *Thesi*, quam postea Sacra Facultas Parisiensis censuris affecit, Mosaicam chronologiam, tamquam non genuinam, reiicere ausus est, quod ei cum Sinensibus chronicis convenire non videbatur: atque in eo delicatum se criticum praebere credidit, quum tamen

men omnis prorsus critices imperitum ostendit; Etenim praeter chronologicos errores in illis adinventos propter eclypsium, aliarumque coelestium coniunctionum diversitatem, antiquitates illas proprio marte ab otiosis, et impostoribus effictas, et nullo criterio fuisse editas, observarunt eruditi. Sed posito, quod verae sint, nec Mosaicam historiam debilitare, nec mundi aeternitatem inde inferre poterunt libertini. Non primum: nam ut observavit D. Freret in Sinensium lingua, et historia probe versatus, sciolisque nostris extra omnem suspicionis aleam constitutus, quippe libertinus et ipse, antiquiores illorum epochae annum 1991. ante Christi nativitatem non excedunt, immo nec ipsum diluvii tempus attingunt; adeoque tantum abest, ut Mosaicam chronologiam transgrediantur, ut potius illae sint admodum posteriores, et variis fabulis, ac fictionibus genuinam Mosis historiam, more paganorum, ornent, et confirment. Non secundum: nam chronologiae illae nec mundi aeternitatem usquam admittunt, et eiusdem creationem aperto fatentur. *Et vero*, inquit P. Couplet, *quod creationem Coeli, et Terrae, maris, et feminae determinatis temporibus assignent, tum satis clare fatentur, non extitisse Mundum ab aeterno . . . . adeoque facile est ratiocinando hinc conficere, Numen aliquod supremum Sinenses cognovisse, a quo haec omnia certis temporum intervallis procreata sunt. Praefat. ad tab. chron. Monarch. Sinic.* §. 1. Vide quoque *Court examen de la Thèse de M. l'Abbé de Prades*, in quo omnes Litteratoris huius errores fuso calamo panduntur, et refutantur.

173. Quoniam ergo mundus, utpote ens compositum (§. 152.), est extensus (§. 105.), et contingens (§. 139. *not.* 4.), adeoque finitus (§. 129. *), mutabilis (§. 141.), et in tempore creatus (§. *eod.*); Deus vero (ut in Theologia naturali patebit,) quia ens necessarium, est simplex (§.

(§. 139.), perfectissimus (§. *eod. n.* 18.), infinitus (§. *eod. n.* 17.), immutabilis (§. *eod. n.* 15.), et increatus (§. *eod. n.* 13.): evidens est 17. impium SPINOZAE pantheismum apertam continere contradictionem **, ideoque esse impossibilem (§. 45.).

* Quale sit huius Atheorum Magistri systema, in Ontologia (§. 121. **.) exposuimus. Hinc ille deducit, mundum, utpote divinam substantiam diversimode modificatam, esse aeternum, et necessarium, ipsa nempe divinae naturae necessitate exsistentem. Sed quia totum falsae substantiae definitioni superstructum est, merito reiiciendum. Quum enim substantiam definivisset per ens *a se*, *Ethic. Part.* I. *def.* 3., ideoque substantiarum pluralitatem negasset *ibid. prop.* 2. *et* 5., subdit: *Praeter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia*: *ibid. prop.* 14., atque inde concludit: *Quidquid est, in Deo est*: *ibid. prop.* 15. Ex ruenti ergo principio non nisi labantes, ac falsae deduci poterant propositiones.

** Sed ut Pantheismum prorsus ad nihilum reducamus, quidnam auctor de Deo sentiat, videamus. *Per Deum*, ait ille, *intelligo ens absolute infinitum, hoc est substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam, et infinitam essentiam exprimit*. *Ibid. def.* 6. Deum quoque alibi *ens a se, et perfectissimum* esse scribit; *Affirmo*, inquit, *non nisi unicum posse ens esse, cuius exsistentia ad suam naturam pertineat, illud nimirum ens tantum, quod omnes in se habet perfectiones, quodque Deum nominabo*. *Epist.* 40: Age vero, ad horum analysin progrediamur. Deum ipse vocat *ens perfectissimum, et infinitum.* Ex ipsa ergo Spinozae confessione, Deus immodificabilis est: nam modificabilitas supponit capacitatem diversorum, immo et oppositorum modorum,

rum, quae capacitas imperfectionem arguit, illudque ens limitat. Deum ergo modificabilem adserere, est contradictoria dicere. Deum esse *simplicissimum*, ipsemet fatetur: id enim sonant verba illa *quorum* (*attributorum*) *unumquodque aeternam, et infinitam essentiam exprimit*: nam quum Dei attributa realiter non distinguantur, unumquodque illorum est ipse Deus. Simplicitas autem compositionem excludit (§. 114.), adeoque et extensionem (§. *eod.*). Quum ergo mundus sit ens compositum (§. 152.), mundanaque corpora sint extensa (§. 159.), si cum Spinoza dici vellet, ea esse Dei essentiam varie modificatam, idem esset, ac Deum pariter et mundum facere ens simplex simul, et compositum, quod est impossibile (§. 15.). Quia vero impossibile nihil est (§. 48.): liquet, Spinozae Pantheismum esse parum nihil. Quae quum ita sint, liceat superficiarios saeculi nostri sciolos praeclari Philosophi verbis compellare: *Erubescat iam quisquis adeo obcaecari, et seduci se sivit, ut huic systemati laudes impertiretur; erubescat porro se insaniam, et insolentiam ipsam commendasse ideo tantum, quia impietatis syngrapho munita, et eius auspiciis sese illi obtulerat*. Ab. Para *Théorie des êtres insensibiles* §. 811.

174. Quandoquidem autem materia est ens contingens (§. 165.); hoc vero, utpote mutabile, temporarium, & creatum, non potest esse aeternum (§. 141.), neque necessarium (§. 136.); ens contra necessarium, quia infinitum (§. 139.), debet esse unicum, ut adeo duo entia infinita, & necessaria dari nequeant (§. 133. 140.): sequitur 48. haud minus absurdam esse PLATONICORVM * aeque, ac STOICORVM ** sententiam, qui materiam Deo coaeternam ab eo in ordinem re-

redactam, atque inde mundi machinam efformatam fuisse, aiunt.

* Platonis effatum in *Timaeo* distincte legitur; eius vero principium, in *cap.* 14. statutum observatur. *Deum quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, sibi assumsisse, non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum ac fluctuans, idque ex inordinato ad ordinem reduxisse; materiae tamen malitiam, ac pervicaciam obstitisse, ne Supremi Numinis voluntas mundum ex ea, qualem cuperet, omnis mali vitiique expertem efficeret.* Haec doctrina Academiae placuit: unde Platoni tria sunt mundi principia, nempe *Deus, materia, et idea*. Vid. Alcinous *Introd. ad doctr. Plat. cap.* 12. Sed ne longius progrediamur, eius opinionis analysin in ipsis praelectionibus conficiemus.

** Hanc Stoicorum fuisse opinionem ex Seneca discimus *ep.*65., et Iusto Lipsio *Physiol. Stoic. Lib.* 1. *diss.* 4., quos Stoae, tamquam glebae, adscriptos fuisse constat. *Dicunt, ut scis,* ait Seneca, *Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia stant: caussam, et materiam. Materia iacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Caussa autem, id est, ratio, materiam format, et quocumque vult versat; ex illa varia opera producit. Esse debet ergo unde aliquid fiat, deinde a quo fiat: hoc caussa est, illud materia . . . Quaerimus, quid sit caussa? Ratio faciens, id est, Deus . . . Nempe universa ex materia, et ex Deo constant.* Scilicet illud inter Platonicos, Stoicosque intererat, quod illi materiam fluctuantem, et immoderate agitatam: hi inertem quietamque ponebant. At vero materiae aeternitas quonam modo defendi possit, non videmus; quinimmo eam aeternam esse non posse, supra demonstravimus (§. 165.); motum autem, sive agitationem a Platonicis materiae natura tributam aeque impossibilem esse, clare patet (§. 166. **). Illud autem, quod omnem humanam exuperat exce-

credibilitatem, omnique prorsus possibilitate vacat, est mundi creatio iuxta horum sententiam: nam positis duobus aeternis, ac necessariis entibus, Deo, et materia, ponitur in ambobus independentia (§. 139.), potentia illimitata (§. eod. n. 18.). Si ergo cum Platonicis materiae motum irrequietum, ac pervicaciam concedere velimus: tunc plurima enascentur absurda. Primum quidem: si materia ab alio ente a motu ad quietem; a confusione ad ordinem redacta fuit, aliud ergo ens illa superius potentiusque exsistebat, adeoque aliquid ea maius concipi poterat; ergo nec infinita (§. 130.), nec necessaria (§. 139. n. 17.), nec increata est (§. eod. n. 13.). Alterum: si Dei voluntati materiae pervicacia obstitit, quo minus effectum, quem volebat, sortiretur, posita in ambobus illimitatione, ac necessitate, duorum alterum sequi debuisset; vel nempe nullus effectus in aequalium virium collisione; vel si materia vicit, in Deo potentia foret limitata, quod est falsum, et contra eamdem adversariorum hypothesin. Si denique in illa materiae dispositione aliquid ex parte Dei, aliquid contra ex parte materiae amitti, et alterum alteri vicissim cedere oportuit, tunc utrumque finitum, et consequenter non aeternum esset (§. 129.). Posita deinde cum Stoicis materiae inertia, poneretur eius ineptitudo ad motum sibimet communicandum, ut adeo nemine movente cessaret; et tunc alia externa caussa opus haberet, a qua motus ille sibi imprimeretur. At hoc materiae dependentiam, impotentiam, ac proinde aliquem in ea realitatis defectum argueret; unde nec infinita (§. 130.), nec necessaria, nec aeterna esse posset (§. 139. 141.). Praeterquam quod, si Deus materiam quocumque vult versat, ut iidem Stoici fatentur, materia a Deo dependens esse debet, atque adeo finita, contingens, et creata (§. 141.).

175. Patet inde 19. Stoicismi perinde, ac Epicuraeismi cultorem fuisse HELVETIUM, * cum materiae aeternae vim, non

non quidem ingenitam, sed a Deo communicatam attribuit, qua tamen elementa per infinitum inane vagantia, post varios errores, demum in aequilibrio constiterint. Quae, quoniam suis quaeque locis refutata sunt, merito hic nulla sollicitudine transcendimus: praesertim quum ex eadem Scriptoris adsertione absurda eiusmodi opinandi ratio patescat.

* Litterator hic in tanta litterarum luce enunciare non erubuit: *Deum in Universo morali, perinde ac in physico, unum tantum principium posuisse videri. Materiae dixisse: vim tibi tribuo. Itaque elementa motus legibus submissa, sed per spatii deserta errantia, et confusa plurimas monstruosas uniones efformasse, chaosque diversa produxisse, donec tandem in aequilibrio, et ordine disposita quieverint* (1). Hanc sententiam partim

(1) *Il semble que dans l'Univers moral, comme dans l'Univers physique, Dieu n'a mis qu'un seul principe dans tout ce qui a été. Ce qui est, et ce qui sera, n'est qu'un developpement nécessaire. Il a dit à la matière: je te donne de la force. Aussitot les élémens soumis aux loix du mouvement, mais errans et confondus dans les deserts de l'espace, ont formè milles assemblages monstrueux, ont produit mille chaos divers, jusqu'à ce qu'enfin ils se soient placés dans l'equilibre, et l'ordre physique; dans le quel on suppose maintenant l'univers rangé.* De l'Esprit *Discours. III. chap. 9.*

ex Epicuro, partim e Stoicorum penu hausit Vir eruditus. Ex Epicuro quidem materiae aeternitatem, atomorum errorem, fortuitamque combinationem; e Stoa vero eiusdem materiae inertiam, motusque a Deo communicationem mutuatus, opinionem suam nec omnino Epicuraeam, nec plane Stoicam, commentus est. Epicuri deliria (§. 166.) iam refutavimus; Stoicorum vero cogitata reiecimus (§. 174.). Quod autem ad hanc peculiarem opinationem attinet, licet iocum potius, quam philosophicam orationem sapiat, pauca addere non pigeat. Deum Auctor ponit ens necessarium, et infinitum, adeoque perfectissimum, eumque unicum: materiae ergo aeternitas est impossibilis (§. 133.). Porro admissa Divinitate, omnes inde eius infinitae perfectiones legitime manant, ac prae ceteris infinita sapientia, et omnipotentia. Illa exigit, ut nihil frustra; omnia vero brevi facilique via agantur: haec nulla praeexsistente materia, nullis instrumentis, nulla ope omnes possibiles producit effectus. Si ergo Deus, ut mundum conderet, elementa vi donasset, eaque sibimet reliquisset, ut suo marte per spatii deserta vagarentur, duorum alterum inde emergeret: vel Deum nescivisse brevi facilique via elementa illa componere, mundumque, uti est, efformare; adeoque nec media ad finem apta dirigere, quod infinitae Dei sapientiae est iniurium: vel id efficere non potuisse, quod omnipotentiae detrahit; eoque casu esset Deus ex hypothesi, et non esset Deus ex adsertis, quod est impossibile. Reliqua vero absurda, quae ex Auctoris opinione orientur, quippe quae lectoribus prima fronte innotescunt, ipsi notanda relinquimus.

176. Quia vero mundus est ens creatum (§. 165.); quidquid autem creatum est, aliquando non exstitit (§. 115.); & quod aliquando non exstitit, aeternum dici nequit (§. 108.): liquido infertur 20. Impossibile esse, ut aliquid sit ab aeterno crea-

creatum, id enim contradictionem involvit *; ac proinde 21. mundum ab aeterno creari non potuisse.

* Et quidem creatio ab aeterno est impossibilis: nam duas propositiones continet contradictorie oppositas; nempe ens illud, quod ab aeterno creatum ponitur, semper exstitisse, et aliquando non extitisse: primam, quia quidquid aeternum est semper exstitit; alteram, quia creatio supponit exsistentiae initium, et ante illam entis illius statum in nihilo, sive in pura possibilitate, unde per creationem a possibilitate ad exsistentiam transire debuit, id quod indicio est, id antea non extitisse. Creatio ergo ab aeterno idem est, ac aliquid simul fuisse, et non fuisse: quod est absurdum (§. 15.).

177. Ex qua propositione liquet 22. chimaeram Horatiano monstro simillimam venditare D. VOLTAIRE *, dum universum hoc, utpote aeterni Artificis opus, aeternum esse debere contendit: licet alibi contra incredulos arma sumens, suammet opinionem ipse refutaverit, ac rationem omnium Dei operum, & temporis, quo creata fuere, in sola liberrima Entis illius aeterni voluntate reponi debere, docuerit **.

* Franciscus Arouet, Baro de Voltaire in Gallia, circa saeculi nostri dimidium vaga, et multiplici eruditione floruit. Is primo quidem poeticen excoluit, unde plurimas tragoedias conscripsit: postea vero historiae operam navans, deinde philosophiae animum adplicans, eruditionis universalis amore flagrans, multa historica, plura philosophica; nonnulla etiam theologica scripsit, quae non paucis

voluminibus complexa superficiariam prorsus cognitionem, nullum omnino iudicium, volatile, inconstans, ad satyras proclive, ac nimis liberum Auctoris ingenium arguunt. Eius opinio de materiae aeternitate multis in locis sparsa invenitur, praecipue vero *dans le Philosophe ignorant.* §. 14., *Lettres de Memmius a Ciceron. Lettr. VIII.* Sed animum suum clarius aperit in *Diatrib. il faut prendre un parti, ou le principe d'action* §. 5., ubi ait: *Mundum, quippe entis aeterni, & necessarii opus, aeternum esse: nam ens essentialiter agens, ab aeterno agere debuisse, nec umquam credi posse. Deum ab omni aeternitate nihil egisse, nulla namque ratio sufficiens esset, cur uno potius, quam alio tempore mundum creaverit* (1). Quasi vero Dei actio tantum in creando consistat, ita ut agere dici non possit, nisi creando! Vides hic, Scriptorem falsam *creationis*, et *aeternitatis* ideam sibi efformasse: creationem enim necessarium exsistentiae Dei effectum esse, eodem modo, quo lumen est necessarius solis effectus, Deumque mundi caussam esse necessariam, aeternitatem autem tem-

(1) *Le monde son ouvrage, sous quelque forme qu'il paraisse, est donc éternel comme lui, de même que la lumiere est aussi ancienne que le soleil, le mouvement aussi ancien que la matière. Que pourrait on imaginer en effet de plus contradictoire qu'un être essentiellement agissant qui n'aurait pas agi pendant une éternité, un être formateur qui n'aurait rien formé, & qui n'aurait formé quelques globes que de puis très peu d'années, sans qu'il parût la moindre raison de les avoir formes plutôt en un temps qu'en un autre?* Voltaire *Tom. XXXII. pag.* 163. *edit. Basl.* 1786.

temporis partibus constantem admittit: quum tamen creatio sit purus liberrimae Dei voluntatis effectus, ut ipsemet alibi fatetur *Tom. XXXII. Trait. de Métaphysiqu. chap.* 2.; ut et Deus ens liberrimum esse, mundumque voluntario creasse, ponitur *dans le principe d' action* §. 6.; aeternitas vero ut instans concipi debeat, eaque nulla sit, si successione involvatur (§. 108. **). Sed non melius Voltairi argumento responderi poterit, quam Moshemii verbis: *Nullus*, inquit Vir acutus, *cum sit temporum ordo in aeternitate, stultum & ineptum est sciscitari, cur hoc potius, quam alio tempore Supremum Numen hanc rerum universitatem construxerit? Quod qui sibi vult explicari: is proprie rationem sibi reddi cupit, quamobrem tempus non fuit antequam esset tempus: quod merito absurdum, & inficetum dixeris. In Cudvvort. System. intell. cap.* 5. *segm.* 5. 6. 22. *not.* 2. Tantum ergo abest, ut contradictionem in eo agnoscamus, ut potius rectae rationi sit consentaneum, Deum, ens perfectissimum, et aeternum, summa intelligentia, et libertate praeditum, in quo nulla successio, sed tota aeternitas est unum, et simplicissimum instans, quum mundi creationem a sua libera voluntate pendentem a tota aeternitate decrevisset, in tempore tandem eam perfecisse. Sed quum veritas haec ab eodem Scriptore cognita sit, ut sequenti nota adparebit, non amplius erimus de eo refutando solliciti.

** Ipse enim in *Trait. de Métaphysiq. chap.* 2. de Dei exsistentia loquens, aliquibus Materialistarum obiectionibus respondens: *Haec obiectio*, ait, *huc redit: Concipere nequeo, cur Deus in uno potius, quam alio tempore mundum creaverit; ergo creare non potuit. Veluti si dicas. Quia concipere nequeo, cur talis homo vel equus non extitit mille annis ante, impossibile est eos exsistere. Item, voluntas Dei libera est ratio sufficiens temporis, in quo voluit mundum creare. Si Deus exsistit, liber est, nec talis esset, si aliqua ratione sufficiente determinaretur, & si sua voluntas nullius ei foret usus. Haec vero ratio sufficiens eritne in eo, an*

extra eum? Si extra eum, Deus ergo non est liber: si in eo, ecquid aliud erit, nisi sua voluntas (1)? En quam bene sibi constet Poeta noster, utque suis ipse manibus destruat, quod alibi aedificare conabatur.

178. Quandoquidem autem ratio sufficiens omnium Entis necessarii operum est eadem liberrima eius voluntas (§. 22. *not.* 3.), unde cur mundum in uno potius, quam altero (si ita loqui fas est) aeternitatis puncto creaverit, nulli rationem reddere tenetur, nec finales entis infiniti rationes ab ente finito umquam concipi pos-

---

(1) *Cette obiection se reduit seulement à ceci: Je ne puis comprendre, que Dieu ait créé l'univers plutôt dans un temps, que dans un autre; donc il ne l'a pu créer, C'est comme si l'on disait: Je ne puis comprendre pourquoi un tel homme ou un tel cheval n'a pas existé mille ans auparavant, donc léur existence est impossible. De plus, la VOLONTE LIBRE de Dieu est une RAISON SUFFISANTE DU TEMPS dans le quel il a voulu créer le monde. Si Dieu existe, il est libre; & il ne le serait pas s'il etait toujours determiné par une raison suffisante, & si sa volonté ne lui en servait pas. D'ailleurs cette raison suffisante serait-elle dans lui ou hors de lui? Si elle est hors de lui, il ne se détermine donc pas librement. Si elle est en lui, qu'est-ce autre chose que sa volonté?* Voltaire *Trait. de Métaphys. chap. 2. repons. à la 2. obiect.*

possunt (§. 131.): recte infertur 23. temeritatis notam effugere non posse Auctorem libelli *les* LETTRES PERSANNES *, qui in Deo rationem , cur mundum in tempore creaverit, quaerere voluit, & quia prorsus eam invenire non potuit, creationem illam ab aeterno factam, veluti ex tripode, pronuntiavit.

* Libelli hujus Auctor fertur D. Montesquieu inter Gallos Scriptores fama pervulgatus, *geniusque primi ordinis* habitus. In eo Persam nescio quem Usbek epistolas illas scribentem inducit, permultis tamen contra Religionem absurdis redundantes, ut Gallum quidem Persica specie personatum ubique loqui clare sentias: qua de re legatur nobile opus *Les lettres Persannes convaincues d' impieté*. Prae ceteris vero doctrinis, de mundi origine Auctor loquens: *Omnes Historici*, ait, *de primo quodam parente loquuntur, nobisque naturam humanam nascentem ostendunt. An non naturale est cogitare, Adam a communi aliquo infortunio servatum, ut & Noe a diluvio, hosque magnos eventus post creationem in terra fuisse* (1)?

Ex Auctoris igitur confessione, de creatione mundi, humanique generis ortu *omnes Historici* conson-

(1) *Tous les Historiens nous parlent d' un premier pére : il nous font voir la nature humaine naissante. N' est il pas naturel de penser, qu' Adam fut sauvé d' un malheur comun, comme Noè le fut du déluge, & que ces grands évenemens ont été fréquens sur la terre depuis la creation du monde?* Lettr. Persann. *Epist.* 113.

sentiunt, ac praecipue Moses, cuius auctoritatem, et genuitatem Gallus scriptor non ignorabat. Eccur vero unanimi omnium historicorum consensui non credemus? Quia naturaliter, ait, cogitare possumus, Adam fuisse ab aliquo infortunio servatum; qui naturalis cogitandi modus non ratione, non experientia, sed phantasticis libertinorum coniecturis Auctori innotuerat. Vtrum autem, quaeso, magis naturale est, in eventuum, et factorum examine concordem omnium Historicorum narrationem, an suam sine ullo fundamento sequi opinionem? Quid porro magis absurdum, quam ut nullis testibus, nullis monumentis, nulla ratione suffulta opinio, quae nullibi, nisi in accensae imaginationis oestro rationem sufficientem agnoscit, tam innumeris testium, monumentorum, rationumque momentis ideo anteponatur, quod eam Gallus scriptor pronuntiavit? Id vero in Auctore praesumtionem, in fautoribus temeritatem, in credulis legentibus crassam arguit stupiditatem. Mirandum tamen est, scriptorem hunc eximium, de litteraria Republica tam optime meritum, in huiusmodi puerilitates incidisse. Sed ille hic non subsistens ultra progreditur, omnesque Metaphysicos in certamen vocat: *Quonam modo*, ait, *Deum tamdiu feriatum esse concipiemus? Cur materiam non ante, quam 6000. abhinc annis, condidisse dicemus? non potuitne, an noluit? Si semel non potuit, nec postea potuisset: si noluit; cur postea mutatus est? Si tamen voluit, quoniam in Deo nulla est successio, quod semel voluit, semper voluit, idque incepit* (1). Inde ergo concludit: *Annos*

---

(1) *Ceux qui connissent la nature, et qui ont de Dieu une idée raisonnable, peuvent ils comprendre, que la matiére et les choses crées n' aient que six mille ans. Que Dieu ait différé pendant toute l'éternité ses ouvrages, et n' ait usé*

nos Mundi non debere numerari ; arenae marinae granula non pluris illis comparari posse, quam instans (1). Quae conclusio in recentioribus editionibus non legitur. Ne credas hoc argumentum a Gallo-persa excogitatum, sed tantum ab umbris oblivionis revocatum, operae pretium est, Angelici Doctoris, cui iam pridem eadem obiectio facta fuerat, verbis respondere. *Divinae voluntatis*, ait S. Doctor, *non retardatur effectus, quamvis non semper fuerit, voluntate de eo exsistente. Nam sub voluntate divina cadit, non solum quod eius effectus sit, sed quod tunc sit. Hoc igitur volitum, quod est tunc creaturam esse, non retardatur, quia tunc incepit creatura esse, quando Deus ab aeterno disposuit. Lib. II. contra Gent. cap.* 35. Videantur item alia S. Doctoris argumenta, quibus incredulos de Mundi creatione convincit. *Ibid. cap.* 32. *ad* 40., *et Summ. Theol. p.* 1. *qu.* 46. *art.* 1. *ad* 10. Nimirum mundi creationem Deus ab aeterno decrevit, ut id in tempore fieret, eamque effecit in tempore. Voluit ergo, et potuit, nec umquam velle coepit, vel intermisit : sed quia voluit,

---

usé que d' hier de sa puissance créatrice ? Seroit ce parce qu' il ne l' auroit pas pu, ou parce qu' il ne l' auroit pas voulu ? Mais s' il ne l' a pas pu dans un temps, il ne l' ha pas pu dans l' autre : c' est donc parcequ' il ne l' a pas voulu : mais comme il n' y a point de succession dans Dieu ; si l' on admet, qu' il ait voulu quelque chose une fois, il l' a voulu toujours, et dés le commencement : Ibid. *Epitr.* 113.

(1) *Il ne faut pas donc compter les années du monde ; le nombre des grains de sable de la mer ne leur est pas plus comparable qu' un instant*. Ibid.

ut mundus tunc oriretur, cum exsistere coepit, nulla mutatio in Divina voluntate contigit; immo ea plenum sortita fuit effectum eo modo, eoque momento, quo Deus ab aeterno decreverat. Nec est, quod ratio quaeratur, cur ita voluerit: haec enim est liberrima Dei voluntas, eamque investigare velle, desipere est.

179. Quum ergo mundus exsistat (§. 156.), sitque ens creatum (§. 165.), eius vero creatio nonnisi enti necessario sit tribuenda (§. 142.): consequens est 24. etiam ex hoc capite ens necessarium exsistere: adeoque 25. impudentem prorsus se ostendere D. SANCTI EVREMONDI *, dum ut temerarium damnosumque damnat eorum laborem, qui Entis supremi exsistentiam tractare, & ostendere in scholis adgrediuntur; ut & audacem prorsus, ac petulantem D. VOLTAIRE **, qui libros omnes Religionem propugnantes, ad destruendum potius, quam aedificandum aptos esse, blateravit.

* *Jugement sur les sciences. Tom. I.*

** *Lettr. 25. sur les pensées de M. Pascal.*

180. Ex eodem quoque sequitur 26. rationes metaphysicas pro entis necessarii exsistentia facientes, aut parum, aut nihil omnino perpendisse D. DIDEROT: is enim nullis metaphysicis argumentis eam demonstrari posse contendit, sed arma contra atheismum potentiora ab intimis Physicae fontibus eruenda esse, ut ideo scien-

tiae

tiae hujus utilitatem prae aliis omnibus, ac praesertim metaphysica, exaggerare videatur, quemadmodum in operibus suis ubique elucet.

* Videatur ejus opusculum inscriptum *Pensées philosophiques*, ubi praecipue §. 18.: *Atheismum*, ait, *nullum magnum ictum a Metaphysicorum manibus accepisse*, *sed Physicae empyricae honorem hunc deberi*, *laboribusque Newtoni*, *Nievventitii*, *Musschembroekii grates habendas esse*, *nec omnes Cartesii*, *et Malebranchii meditationes ad extirpandum materialismum tantum roboris habere*, *quam vel unam Malpighii observationem* (1). Ex his enim, quae supra etiam in Ontologia dicta sunt, liquido pátet, tot esse metaphysica argumenta supremi Entis exsistentiam confirmantia, Atheorumque ineptias, et sophismata ad nihilum redi-

---

(1) *Ce n' est pas de là main du Métaphysicien que sont partis les grands coups que l' Athéisme a reçus. Les meditations sublimes de Malebranche et de Descartes ètoient moins propres à ebranler le matérialisme, qu' une observation de Malpighi. Si cette dangereuse hypothèse chancelle de nos jours, c' est à la Physique experimentale que l' honneur en est dû. Ce n' est que dans les ouvrages de Nevvton, de Musschembroek, d' Hartzocker, et de Nieuvventit, qu' on a trouvé des preuves satisfaisantes de l' existence d' un être souverainement intelligent. Graces aux travaux de ces grands Hommes, le monde n' est plus un Dieu; c' est une machine qui a ses roues, ses cordes, ses poulies, ses ressorts et ses poids.* Pens. philos. §. VIII.

gentia, ut sensui communi valedicere debeat, qui eorum momentis non convincatur. Exigunt porro Athei tantam in his argumentis evidentiam, ut eorum veritas tam clare pateat, quam *bis duo conficere quatuor*. Sed illud ab his observandum volumus, non omnes propositiones esse pura axiomata, ut est enunciatio ab iis allata. Quamvis autem rationes, de quibus sermo est, sint demonstrabiles, nempe theoremata: quum tamen haec ab illis legitimo nexu deducta sunt, tanta conclusionibus evidentia accedit, quantam principia indemonstrabilia habebant.

181. Porro ens, cuius exsistentia ab alio pendet, quodque nullam vim, nullum mutationum suarum principium in se continet, non potest a semetipso conservari, sed ejus entis actione opus habet, a quo exsistentiam accepit; ut ita eadem potentia conservetur, qua creatum fuit. Quum ergo mundus ab ente necessario sit creatus: ab eodem conservari, & regi debet. Hinc 27. sibimetipsi adversatur D. ROUSSEAU *, dum mundi conservationem, ac regimen agnoscit: contra vero eius naturam, caussamque efficientem ignorare, parumque curare se dicit.

* Non est inter libertinos omnes, qui seducenti stilo doctrinas suas perniciosius exposuerit, quam hic inter Gallos saeculi nostri non infimi subsellii scriptor, qui novam professus educandi formam, opusculum illud *l' Emile, ou de l' èducation*, tanto plausu in lucem edidit, ut virus in eo conditum, nullo advertente, in animos hominum abunde effuderit. Nulla interim est doctrina, sive metaphysica, sive moralis, quam hic Deismi propugnator non corruperit, et in peiorem partem contorserit. De mundo agens; *se scire*, ait: *nedum*

dum credere, eum a voluntate potente, et sapiente gubernari, idque sua interesse: utrum vero sit aeternus, an creatus? sitne unicum rerum principium, an duo vel plura? se ignorare, nihilque sua referre (1). Quidnam porro veneni sub hisce verbis lateat, ne no non videt. Sed ut propositionem illam examini subiiciamus, ait primo *se videre potius, ac sentire, mundum a voluntate potente, et sapiente gubernari*: id vero argumento est, eum viribus ad se conservandum idoneis carere, ac proinde esse ens ab alio. Eo cognito, mundum nulla necessitate exsistere, sed esse contingentem (§. 165.), legitima consequutione videbat. Deinde increatum et aeternum esse non posse, qui ea noverat, non ignorabat (§. 142. 165.). Tum voluntas illa potens, et sapiens, a qua mundus regitur, ens aeternum, necessarium, increatum et creans indicabat, quod non nisi unicum esse potest (§. 140.): idque naturali lumine innotescit. Qui ergo ea se nescire ait, vel vera dicit, et crassam suam fatetur stupiditatem; vel ignorationem simulat, et malitiam prodit. Vtroque casu Philosophus non est censendus, si in re tam evidenti vel intellectus, vel voluntatis vitio laboret.

CA-

(1) *Je crois donc, que le monde est gouvernè par une volonté puissante et sage; je le vois, ou plutôt je le sens, et cela m'importe à savoir: mais ce même monde est il éternel, ou créé? Y a-t-il un principe unique des choses? Y en a-t-il deux ou plusieurs, et quelle est leur nature? Je n'en sais rien; et que m'importe?* Emile *Tom. III. livr. 4. pag. 52. edit. Genév.* 1782.

CAPUT TERTIUM

De Mundi perfectione.

182. POstquam mundi naturam, exsistentiam, & originem investigavimus, ordo postulat, ut eius bonitatem nunc ad trutinam revocemus; quae quum sit entis convenientia cum sua essentia, & fine (§. 70.), vel, quod idem est, consensus in varietate (§. 73.): ideo primum de fine, ad quem mundus est ordinatus, deinde de mundanorum entium ad eum obtinendum consensu, demum de hujusmodi perfectionis gradibus verba faciemus.

183. Quoniam mundus est ab ente necessario creatus (§. 165.); ens vero necessarium, utpote perfectissimum (§. 139.), est sapientissimum (§. *eod.* ***), adeoque infinita intelligentia praeditum (§. 41.): quia omne agens intelligens agit propter finem (§. 40. **), nempe caussa obtinendi bonum aliquod nondum possessum *, consequens est 1. ens necessarium in mundi creatione finem aliquem intendisse, 2. eumque fuisse bonum nondum ab eo possessum, cuius consequendi gratia illum creaverit.

* Bonum etenim per sui repraesentationem caussam efficientem determinat ad agendum, ut obtineatur (§. 40.): est ergo nondum possessum; nam

nam si possideretur, nullum in agentis voluntate cieret desiderium: natura namque, et experientia duce scimus, cuiusque desiderii rationem sufficientem in privatione positam esse, nullamque boni iam possessi haberi posse cupidinem. Cave tamen credas, bonum illud esse debere Creatori relativum, hoc est ei aliquam conferens realitatem aut perfectionem, quia hoc infinitis eius perfectionibus est iniurium (§. 77. 139.). Bonum autem sit oportet, licet ad entium creatorum utilitatem directum (§. 40.*), quod quum ante creationem non exstiterit, per eam a Creatore, utpote beneficentissimo, suique diffusivo, obtineri voluit.

184. GLORIA Creatoris est *eius excellentia*: eaque est vel ESSENTIALIS, vel ACCIDENTALIS. Illa est *collectio infinitarum ejus perfectionum*; haec autem, *quae ex perfectionum ipsarum manifestatione nascitur*.

185. Quandoquidem ens necessarium, quia perfectissimum (§. 139.), omnes infinitas nullis gradibus continet perfectiones (§. 77.), quibus ideo nihil addi, aut demi potest, nec alii successive status accedere (§. 129.); in earum vero collectione gloria eius interna consistit (§. 184.); liquet 3. gloriam internam semper fuisse a Creatore possessam, 4. eamque infinitam nullius augmenti esse posse capacem: 5. hanc ergo finem Creatoris non fuisse; attamen 6. gloriam externam ante creationem non fuisse a Creatore possessam; nullum ens enim aderat, cui eius infinitae perfectiones patefierent: unde 7. en-

entis necessarii finem in creatione mundi fuisse gloriam ipsius externam, nempe suarum perfectionum manifestationem, nulla difficultate deduci potest.

* Hic autem Dei finis est cum entium creatorum ratione praeditorum felicitate connexus ita, ut sapienter Angelicus enunciaverit, Deum propter nos, non propter se gloriam suam quaesivisse. Quemadmodum enim quo magis Dei perfectiones agnoscuntur, eo maior habetur hominis tendentia ad felicitatem: ita quo maior est hominum nisus ad beatitudinem consequendam, eo magis in eis gloria Creatoris elucet, eiusque perfectiones multo magis patefiunt, ut erudite ostendit Cudwortus *System. intell. cap.* 5. *Sect.* 5. §. 20., et Moshemius *in not. ad eumd. loc. cit.*, fuse vero Krebsius *Comment. phil. de fin. creation.*, nosque in Theologia naturali sufficienter ostendemus. Porro hic Creatoris finis est principium, sive regula perfectionis mundi, quia in eo mundana entia tam varia inter se conspirant, ut gloriam entis increati et creantis externam illustrent, eiusque infinitas ostendant perfectiones: id quod etiam ex revelatione discimus *Psalm. XVIII. vers.* 1., et ipsum Platonem agnovisse docet S. Augustinus: *Hanc etiam*, ait, *Plato caussam condendi mundi iustissimam dicit, ut a Deo bono opera fierent. De Civ. Dei Lib. XI. cap.* 21.

186. Quia vero entis necessarii perfectiones infinitae sunt, nullisque limitibus obstrictae (§. 139. ***); ubi vero limes, & gradus abest, nihil melius vel peius, nihil maius aut minus concipi potest (§. 127): infertur 8. fines omnes in Creatore conceptu possibiles esse optimos, nec inter eos dari posse comparationem; 9. eius vero perfectiones per quemcumque en-

entium finitorum numerum, exsistentiam, & perfectionem, numquam satis patefieri posse; ac proinde 10. Deum in creatione mundi perfectiones suas determinato quodam modo, ac gradu manifestare voluisse: igitur 11. manifestationem hanc omnium possibilium supremam, vel maximam dici non debere *.

* Probe animadvertendam volumus hanc propositionem: ex ea namque doctrina de mundo optimo, de quo infra sermo cadet, eruetur; et quo sensu mundi optimismus sit intelligendus explicabitur.

187. Quum ergo Creatoris finis sit suarum perfectionum manifestatio (§. 185.) certis quibusdam modis determinata (§. 186.), ad quem obtinendum mundi creatio medium esse debebat; qui vero vult finem, & media velle censetur (§. 40.): evidens est 12. Creatorem voluisse, ut ut omnia mundana entia ad eum finem conspirarent, et mundus esset fini suo convenientissimus; adeoque 13. eum perfectum facere voluisse.

188. Quoniam autem ens necessarium, ut sapientissimum (§. 139. ***), finem optimum, ac media ad eum tendentia eligere scit (§. 41.); in creando vero mundo, eum voluit fini suo convenientissimum reddere (§. 187.): patet 14. Creatorem entia mundana ad finem suum optime tendentia eligere, & creare scivis-

se,

se, nec umquam in ea electione falli potuisse.

189. Voluntas tandem ei tantum inefficax esse potest, qui media ad finem dirigere, vel nesciat, vel non possit. At quia ens necessarium, utpote perfectissimum, est etiam omnipotens (§. 139. **), non modo mundum fini suo convenientissimum eligere scivit (§. 188.), sed & 15. talem creare potuit; immo vero 16. eum ita decuit, alias enim suas numquam patefecisset perfectiones, si quando opus sua perfectione caruisset, nempe eius partes a fine communi dissentirent * .

* Non quod necessitas ulla Deum obstrinxerit, ut mundum crearet; ea enim absolutam existentiae necessitatem in mundo argueret, quae eiusdem contingentiae contradictorie opponitur (§. 136. 165.): sed hypothetica necessitate id fieri debuisse. Nempe quum Deus mundi creationem libere statuisset, eoque perfectiones suas patefacere decrevisset, ipsa Dei gloria exigebat, ut eum finibus suis adprime convenientem, perfectumque crearet. Id quod sedulo notandum, ne in errores delabamur.

190. Si igitur finis Creatoris fuit gloria eius externa (§. 185.), & ad eam mundum universum, & omnia, quae in eo sunt, tendentia creare voluit (§. 187.), scivit (§. 188.), potuit, debuitque (§. 189.): recte consequitur 17. ens necessarium omnia mundana entia ad eum finem optime tendentia creasse; ac proinde 18. mundum fini Creatoris sui esse sufficientem;

tem; quae sufficientia, & consensus variorum in uno, quum *perfectio* dicatur (§. 73.): recte concludimus 19. mundum esse in genere suo perfectum *.

* Vides hic mundi perfectionem ita *a priori* demonstratam, ut nihil contra opponi queat. Quidni, inquies, a posteriori? Nimirum humanae mentis imbecillitas id fieri vetat: non omnia enim homini innotescere poterunt entia tam varia, tamque innumera mundum componentia, eorumque proprietates tam intime perspectae, ut ex eorum collatione, et cum Creatoris fine convenientia, mundi perfectio eruatur: ob eamque caussam toto aberrant coelo, qui ex superficiaria quorundam entium contemplatione mundi imperfectionem inferre credunt. Praeterquam enim quod non omnes eorum adfectiones agnoscere potuerunt, ut ita entis cuiusque perfectionem, imperfectionemve diiudicarent: quia tamen partis imperfectio totius perfectioni non obest (§. 81.), nec inde aliquid eruere potuissent, nisi omnes entium particularium intermedios fines, eorumque cum fine ultimo relationem, et nexum prae oculis haberent. Quod quum obtineri ab ente finito nequeat (§. 131.): qui haec omnia in maxima obscuritate videntes, nec ignorantiam suam fateri volunt, et perfectionem illam, cui detegendae sunt impares, impugnare audent, atque pro impossibili venditare: in quo contra Logicae regulas (§. 101. *Schol. Can.* 2. & 3. *Log.*) culpabili negligentia peccant, iisque aptari poterunt verba Plinii *Lib. II. ep.* 5.: *Si avulsum statuae caput, aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses statuae congruentiam, aequalitatemque deprehendere*. Merito igitur eos reprehendit S. Augustinus memoranda illa, eximiaque sententia: *Noluerunt profani homines istam caussam fabricandi mundi tam bonam, ac simplicem bene, & simpliciter credere, ut Deus bonus conderet bona*. *De Civ. Dei Lib. XI. cap.* 23. Legantur interim Leibnitius in *Theodicaea*, Krebsius *loc. cit.*, Malebranchius, aliique.

191.

191. Ex quibus omnibus aperto cognoscitur 20. quam turpissime a recto ratiocinandi tramite deflexerint MANICHAEI*, qui infamia Cerdonis, Marcionis, aliorumque vestigia prementes **, ut absurdam de duobus principiis *bono & malo* doctrinam propugnarent, aliqua tantum mundi entia extra ordinem considerarunt: & quia defectibus quibusdam iis laborantia videbantur, mundum hunc imperfectum, ideoque malum, a malo principio conditum esse docuerunt ***.

* Manichaeorum secta a Manete servo Persa originem habuit, qui tertio aerae vulgaris saeculo vixit, antea *Cubricus* dictus, et a vidua divite nescio qua emtus, postea adoptatus, in Persicis disciplinis eius cura eruditus fuit, unde semi-philosophus evasit. Hac defuncta, Cubricus tum assis, tum etiam librorum heres factus, ut originis suae infamiam oblivioni daret, prius nomen in *Manesem* mutavit, quod Persica lingua *allocutionem* notabat, ut se optimum ratiocinantem ostenderet. At quum eadem vox graece *insaniam* significaret, discipuli *Manichaeum*, quasi *manna fundentem* appellarunt. Is ergo quamplurimos, et nefandos docens errores, tandem praestigiis operam dedit, et Saporis Persarum Regis filium aegrotantem arte nova curandum, eiectis omnibus Medicis, suscepit: sed quia aegrotus inter veneficas susurrationes in eius brachiis vitam amisit, Manes in vinculis coniectus, morti servabatur; unde callide elapsus, iramque Regis fugiens, tandem deprehensus temeritatis suae poenas luit, eique vivo cutis arundineo mucrone detracta fuit. Praecipua eius doctrina erat: *Duo dari principia, sive Deos, unum bonum, a quo bona cuncta procederent, alterum malum, a quo mala, quique mundum imperfectum, omniaque corpora creasset: nam entia omnia*

omnia corporalia, adeoque & carnem nostram, mala esse, nec a bono principio produci potuisse. Error hic MANICHAEISMVS, vel DVALISMVS vocatus permultos habuit omni tempore sectatores, quos inter numerantur *Albanenses* saeculi VIII., et *Albigenses* saeculi XII. errones. Sed duplicis illius principii disquisitionem alibi reservantes, hic tantum de iactata corporum malitia, atque inde deducta mundi imperfectione verba faciemus.

** Et quidem primus, qui facem Manichaeismo praetulerit, fuit *Cerdon*, saeculi aerae nostrae secundi Haeresiarcha, qui primo in Syria duorum principiorum errorem sparsit: quem sequutus *Marcion*. ex urbe Synope ad Pontum Euxinum, magistri nequitiam longe superavit: quare legatur Tertullianus *Lib. I. contra Marcion. cap.* 1. Sed primus Manichaeismi artifex fuit *Scythianus* genere Saracenus, et in Arabia educatus, e mercatore factus philosophus, cuius discipulus errorum, opum, et librorum heres *Terebinthus* e Judaea pulsus, in Persidem fugit, ibique *Budda* nominari voluit. Quumque a cacodaemone correptus periisset, viduam Manetis altricem eius divitiae, ac libri ditarunt.

*** Mundi imperfectio a Manichaeis non aliunde probatur, nisi quod entibus constet corporeis, quae propter eorum limitationem mala esse dicebant; unde malum metaphysicum iactabant, quod revera bonum esse observavimus in Ontologia (§. 78.). Falsum hoc ratiocinium originem habuit ex eo, quod mundi perfectionem a posteriori disquirere volentes, mundana entia imperfecte admodum, et extra mundi ordinem considerarunt, ideoque infinitesima mundi pars non bene, nec penitus cognita praecipites in eam traxit opinionem, ut ignorata exsecrarentur. Recte proinde, ac praeclare eorum insaniam arguens S. Thomas.: *Caussa, inquit, erroris est, quia Manichaei nescientes discernere, quid sit malum, & quid bonum, crediderunt, quod omnia illa, quae sunt aliqualiter mala, simpliciter essent mala; sicut Ignis,*

quia

quia urit, dicitur ab eis simpliciter malus, & aqua, quia suffocat, & sic de aliis. Unde quia nihil istorum sensibilium est simpliciter bonum, sed aliqualiter malum, & deficiens, dixerunt, quod visibilia, seu corporalia omnia non sunt facta a Deo bono, sed malo. Contra hos ponit Augustinus tale exemplum. Si aliquis intraret domum fabri, & inveniret instrumenta, ad quae impingeret, & laederent eum, & ex hoc reputaret illum fabrum malum, quia tenet talia instrumenta, stultus esset, cum faber ea teneat ad opus suum: ita stultum est dicere, quod creaturae sunt malae, quia sunt in aliquo nocivae. Nam quod uni est nocivum, alteri est utile. Opusc. 6. post initium. Obiiciunt Manichaei: peccata, quae fiunt in mundo, eum reddere imperfectum, quia non tendunt ad illustrandam, sed ad obscurandam Dei gloriam. Sed numquid peccata opera Dei sunt? minime quidem: immo transgressiones legis ab humanae voluntatis arbitrio abutentis vitio provenientes: sunt ergo humanae malitiae, non Dei opera, quae tamen Deus permittit, non vult; nempe, salva sua gloria, non impedit, quum id alioquin posset. Quid est autem, inquiunt, quod Deus peccata permittit, legemque suam violari patitur? Nimirum, quum hominem libera voluntate praeditum, suique arbitrum creaverit, non tenetur, salva sua sapientia, peccata impedire: nam alias hominis essentia destrueretur. Scilicet, si Deus peccata impediret, homo non esset homo, quia libertate careret, eoque casu non haberetur in homine ens metaphysice verum, nec bonum; ens illud enim ab essentia sua discreparet: id quod in mundo verum malum metaphysicum induceret cum infinita Dei sapientia pugnans. Non ergo peccata permissa entis supremi gloriam obscurant, sed illustrant, ut agnovit idem Manichaeismi patronus Petrus Bayle (1). Praeterea actiones illae, utut in liberta-

(1) *Le peché s'est introduit dans le monde: Dieu.*

tatis abusu consistentes, si tamen in rerum nexu considerentur, eiusmodi sunt, ut in iis etiam Divinae sapientiae fulgor eluceat, quum ex malis bona deducat, ut in exemplo Iosephi a fratribus venumdati, *Genes. XXXVII. v.* 28., ac Servatoris nostri a Iudaeis occisi dilucide adparet. Huc accedit, quod peccata, si tolerantur, summam Dei bonitatem, et patientiam; si remittuntur, infinitam misericordiam; si vero puniuntur, altissimam iustitiam, ac potestatem ostendunt. Id vero quid, quaeso, aliud est, nisi gloriae Divinae illustratio? Hic ergo mundus hoc nexu, et peccatis in eo inclusis, Dei perfectiones eo modo, quo ipse voluit, ubique patefacit; adeoque mundus, non *quia* mala continet, sed IN QVO mala fiunt, ad Creatoris sui finem tendit, ac proinde perfectus est. Quod de mundo in statu naturae lapsae ob amissam originalem iustitiam adversarii dictitant, ineptum est, quum unus idemque sit mundus, a cuius varietate ordo et perfectio resultat.

192. Nec umquam excusari poterit temeritas alioquin subtilissimi BAYLE *, qui nimium ingenio, ac perspicaciae suae fidens perditorum omnium systematum suscepit patrocinium: unde Manichaeismo prae ceteris ferens suppetias, contra mundum eiusque partes adeo multa congerit, eoque declamat, ut eum non philosophum, sed Cynicum latrantem iure dixeris: licet tamen multis in locis sibimet ipse contradixerit **. 21.

* Pe-

Dieu donc a pû le permettre sans deroger a ses perfections: ab actu ad potentiam valet consequentia. Bayle *repons. aux Provinc. cap.* 165.

* Petrus Bayle Charlati Batavorum natus 14. Kal. Decembris 1647., quum annum agens 22. Catholicam Religionem amplexus esset, eam post 17. menses eieravit, et inter Protestantes reversus perpetuum Christo bellum indixit. Philosophiam Sedani, ac Roterodami (ubi morte demum repentina obiit) publice docuit, multaque scripsit, in quibus, praeter Manichaeismum, vel Pyrrhonismum universale, aliud frustra quaeres. Ad Manichaeismum defendendum multa scripsit de *origine mali*, quae quum legisset Sophia Carolina Borussiae Regina, Leibnitium, ut id opus confutaret, sibique scrupulos eximeret, rogavit: id quod in Theodicaea Leibnitius confecit, ubi ad aliud deflectens extremum, mundi optimismum, de quo mox, promovit, et propugnavit. Roterodamensis porro Philosophi characterem expressit Saurinus in Sermone *sur l' accord de la Religion avec la Politique*, ubi eum *philosophum & sophistam, eruditum & ignarum, gigantem & pigmaeum, saeculi decus & dedecus* eodem tempore fuisse demonstrat.

** Huius quidem sophismata refutare non est necesse, praesertim quum id distincte exequutus sit Leibnitius, plurimaeque ipsiusmet Baylei contradictiones nobis otium facessant. Nam in *Dictionn. hist. crit. art. Charron, & Des-Barreux*. Atheismum fovet, unde ab incredulis *genius primi ordinis* fuit cognominatus; dein vero *art. Charron* Atheismum *dementis animae fuorem* esse contendit (§. 1. *). Tum pro Manichaeis arma sumit *ibid. art. Manichêens*; contra vero alibi *Eclaircissem. sur les Manich. principiorum*, ait, *multiplicitatem iis, qui metaphysicas coluerunt disciplinas, omnino improbari*. Quid autem respondebimus ei, qui tot contradictoria uno tempore docet?

193. Et quoniam mundus est perfectus (§. 190.), idest ad finem Creatoris sui sufficiens (§. 73.), immo ei convenientissimus (§. 189.); fines autem entis infini-

niti & perfectissimi, infiniti quoque sunt, nullisque gradibus coarctati, adeoque nullam admittunt comparationem (§. 186.), ut & opera finibus illis adprime convenientia, optima dicenda sunt, nec ideo inter se comparanda, nec alia aliis maiora vel minora, magis minusve bona dici possunt (§. *eod.*): iure colligitur 22. mundum hunc esse optimum *, & talem, qui nec meliorem, nec peiorem inter ceteros mundos possibiles, qui a Deo creari possent, agnoscat.

* Optimum dicimus eo sensu, quod optimis finibus, ad quos ordinatus est, convenientissimus, et sit infiniti, ac perfectissimi Creatoris opus, cuius est cuncta bona, nulla vero mala, aut minus bona facere. Id ipsum Deus ipse testatur *Genes. I. v.* 31., quum *vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona.*

194. Ex qua propositione liquet 23, male rationes suas conficere eos, qui alios mundos hoc mundo meliores, positis in Deo finibus sublimioribus, dari posse contendunt *, pessime item 24. ratiocinari Leibnitium **, Wolffium ***, & Malebranchium ****, qui mundum hunc omnium possibilium optimum esse dicunt, itaque in operibus Dei comparationem admittunt, & Deum libertate orbantes, fato cuidam Stoico, ac necessitati subiiciunt.

* In hanc sententiam iverunt Boschovichius, Storchenau, et quotquot se recte iudicare putant, nec Leibnitii deliramenta sequi, ea potissimum

ratione ducti, quod si mundus hic esset omnium possibilium optimus, omnipotentia Dei, eiusque libertas foret limitibus obstricta, vel Divinae perfectiones aliquando satis manifestari possent, quod repugnat. Ponunt ergo, mundum hunc certo quodam, ac determinato modo eas manifestare, finem vero, ad quem tendit, non esse omnium Dei finium supremum, adeoque quia possunt in Ente supremo dari fines sublimiores, posse quoque haberi mundum perfectiorem his sublimioribus finibus convenientem. Haec opinio Entis perfectissimi infinitatem limitat, in eoque magis et minus inducit, quod est absurdum (§. 129.): supponit enim, in Dei finibus dari posse gradus, ut alii aliis sublimiores esse possint, idque ex eo probant, quod Deus perfectiones suas certo quodam, ac determinato modo vel gradu per mundum hunc patefacere voluit, eius vero perfectiones numquam satis manifestari possunt, adeoque manifestatio illa dici nequit omnium possibilium maxima, ut nec mundus ad finem non sublimissimum directus omnium possibilium optimus. Sed si Dei fines sunt omnes optimi, nullaque inter eos dari potest comparatio, ubinam quaeremus finem illum sublimiorem, ad quem alius quidam mundus possibilis ordinari queat? Vides ergo, hos, dum entis infiniti perfectiones ubique producunt, iisdem detrahere, et dum ipsum ab alienis fatalistarum imputationibus vindicant, eiusdem infinitas realitates limitare. Fatendum est itaque, omnes infinitos possibiles Dei fines, adeoque omnes possibiles mundos iis consentientes, qui ab omnipotenti Creatoris vi creari possunt, esse optimos, nec ullos dici posse ceteris meliores.

** Leibnitius in Theodicaea *Part. I.* §. 8., praeter alia contra Bayleum disputata, optimismum suum statuit: *Iam summa ista sapientia*, inquit, *bonitati non minus infinitae adiuncta, non potuit non eligere optimum. Nam sicut maius malum est quoddam boni genus, ita minus bonum est species quaedam mali, si bono maiori ponat obicem: esset que in Dei actionibus corrigendum aliquid, si me-*

lius

tius agendi locus foret. Cum eo quoque consentiunt Bulffingerus in libro *de origine*, *& permissione mali*, et in *Dilucidat. philos.* Cantzius *De usu phil. Leibnit. in Theolog. pag.* 212. *seqq.*, aliique. Id quod iure in illustris Viri sententia reprehendas est, quia in Deo maius, minusque bonum considerat: id vero rationi contrarium esse, iam observavimus (§. 186. 193.). Quum tamen omnia Dei opera optimis finibus convenientissima sint, non magis minusque bona, sed optima quaeque dici debere, adeoque nihil in iis umquam corrigi posse, clare patet. Subdit Leibnitius: *oportere dari rationem sufficientem electionis divinae, quae Deum ad unum potius, quam ad alterum determinet*. *Princ. philos.* §. 55. Haec autem ratio, quaerimus, eritne in Deo, an extra Deum? Si in Deo: ratio ergo sufficiens omnium Dei finium operumque erit in eius infinita bonitate; adeoque fieri nequit, quin omnia optima sint: erit etiam in liberrima eiusdem voluntate; ideoque Deus seipsum ad hunc potius, quam alium possibilem mundum eligendum liberrime determinavit. Si vero ratio illa sit extra Deum: Deus ergo a bonitate rerum obiectiva ad eas eligendas determinabitur: idque sentire videtur Leibnitius, quum ait: *Atque haec ratio reperiri nequit, nisi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent; cum quodvis possibile habeat ius praetendendi existentiam pro ratione perfectionis, quam involvit, atque id ipsum caussa est melioris, quod Deus vi sapientiae cognoscit, & vi potentiae producit*. *Ibid.* §. *cit.* Eo vero casu Deus non amplius libere, sed certa quadam cogente necessitate ad eligendum mundum omnibus aliis meliorem determinabitur: nam, etsi vellet, contrarium facere non posset. Id vero quid aliud est, nisi fatum Stoicum? Et certe quonam modo Entis supremi libertatem sartam tectam Leibnitiani servare possint, non videmus. Praeterquam quod, etiamsi ponatur, Deum a bonitate rerum obiectiva determinari posse: si bonum rebus creatis tantum est, quantum iis a Creatore donatum fuit; hic vero tantum ipsis de-

dit, quantum sibi placuit, quum mundus ante creationem nihil esset, cuius nullae adhuc erant proprietates, nulla bonitas: quale ius, quaeso, quivis mundus possibilis habebat exsistentiam a Deo praetendendi? Desipere id quidem est, non philosophari.

** Wolffii sententiam in Metaphysica Germanica expressam refert Baumeisterus *Metaph.* §. 834. *Schol.* 2., eamque ita pronuntiat: *Inter innumeros mundos possibiles Deus unum tantum elegit, & anteposuit, ut hic mundus exsistens suam exsistentiam obtinuerit. Ex hoc clare patet, quod exsistens mundus prae aliis possibilibus sit optimus. Nam vocamus optimum mundum, in quo summa perfectio reperiri potest. Si perfectior mundus, quam exsistens, possibilis fuisset, fieri non potuisset, quod imperfectiorem illi praeelegisset.* Sed hic Cl. Virum falso supposito laborare comperimus: nam ponit inter Dei opera possibilia maiorem, minoremque cum finibus suis convenientiam, id quod Divinae sapientiae, bonitati, ac potentiae detrahit; inter fines autem maiorem, minoremque sublimitatem, quo Entis infiniti realitates limitibus coarctat. Praeterquam quod, quum *optimum* dixisset mundum, *in quo summa perfectio reperiri potest*, huiusmodi optimismo obnixe adserto ac propugnato summam mundo perfectionem attribuit: id quod cum ente finito est admodum incompatibile. Nec magis probanda Baumeisteri sententia, qui *loc. cit.* mundum optimum vocat eum, *in quo gloria Dei manifestatur maxime*; unde concludit: *Mundum hunc esse optimum, nempe finibus suis convenientissimum. Ibid. Schol.* 5. Nam licet haec propositio absolute spectata veri speciem prae se ferat: quia tamen definitioni ante datae relativa est, nullam habet cum veritate connexionem. Sensus enim est: finem Dei in creatione fuisse maximam gloriae suae manifestationem, adeoque mundum huic fini convenientissimum esse optimum, quia gloriam Creatoris sui maxime manifestat. Qua propositione sibimet contradicit Vir eruditissimus, quia Deum alibi vocat ens infinitum *Metaph.* §. 778.

778. *Schol.*, eumque infinitis perfectionibus praeditum *Ibid.* §. 328.; infinitum autem nec maius, nec minus admittere, et esse inexhaustum docet *Ibid.* §. 326. Si ergo ex eiusdem adsertis entis infiniti perfectiones numquam satis manifestari possunt, nulla profecto manifestatio maxima dici potest, adeoque nec finis supremus, nec mundus hic prae aliis possibilibus optimus.

**** Paucis de Malebranchio loquitur illustris aetatis nostrae Philosophus. *Pater Malebranchius*, inquit, *in suo tractatu de natura, & gratia, acutissimo ingenii, & plantasiae opere, hoc optimismi systema nova methodo pertractavit, illudque omnibus ingenii conatibus fulcire studuit, quin & genericae prototypae Dei Creatoris ideae, qua naturam condidit, & Religionem instituit, veluti colligavit. At quum pluribus ingenii ornamentis hoc systema fucatum proposuerit, non propterea firmiori fundamento illud communivit. Quare, ut in fabula vorticum, ita in optimismi fabula statuenda oleum, & operam perdidit.* Abb. Para *Théorie des êtres insensibles Trait. IV. Sect. 2. art. 3. §. 952.*

CAPUT QUARTUM

De ordine, cursu, legibusque Naturae.

SECTIO I.

De Natura rerum.

195. Quaecumque entium mundanorum adfectiones, quae neque essentiam eorum constituunt, nec in ea rationem habent sufficientem, nec in qua extra eam habeant, adparet, iis RATIONE SYSTEMATIS competere dicuntur *. Neu-

pe quum nec eas essentia entis exigat, nec ab externa caussa produci videantur: dicendum est, Deum in formando hoc entium systemate, quod mundus appellatur (§. 15.), iis adfectiones illas, quarum in essentia dispositiones tantum naturales aderant, concessisse, non a vi, vel principio quodam entium interno, sed a libera tantum Creatoris voluntate pendentes, ut ordinis mundani nexus, & harmonia conficeretur, sibique constaret: adeo ut, si alter systematis ordo exigeret, eas vel mutare, vel adimere, salva rerum essentia, posset.

* Huiusmodi sunt attractio, repulsio, adfinitas, vires, quas aiunt, centrales, gravitas, elater, aliaeque similes qualitates corporibus adnexae, quae proprie vires dicendae non sunt, quippe materiae inerti, et passivae incompetentes (§. 161.), nec in principaliter agendo consistentes, sed adfectiones iis ratione systematis a Deo concessae, quibus vel aliquas actiones edunt, vel vicissim agunt et patiuntur, quaeque salva corporum essentia mutari, vel auferri possent, si entia mundana secus connexa forent.

196. NATVRA (φυσις) vocabulum, alias maxime πολυσημον, *significatione varium* *, hic significat *vires activas, vel adfectiones ratione systematis enti alicui competentes* **. NATVRA ergo VNIVERSA est *complexus omnium virium activarum, & adfectionum ratione systematis mundanis entibus competentium* ***.

* Et quidem alii naturae vocabulo entis essentiam notant, alii propriam cuiusque gentis, vel

vel hominis indolem, aut temperamentum; alii collectionem omnium entium creatorum; quidam facultates peculiares certis entium speciebus a Deo concessas: ut ratio in homine; latratus in cane etc.

** Vides hic, naturam entis ab essentia esse distinctam: quum haec solas proprietates ens aliquod in certa entium classe constituentes, quibus ablatis, illud destruitur; illa vero entis exsistentiam, eique adnexas vires, vel quasi vires (si ita adfectiones ratione systematis competentes appellare fas est) indicet. Unde quum solae substantiae immateriales viribus praeditae sint (§. 125.), materiales contra viribus non iam insitis, sed communicatis (§. 119. 161.), vel quasi viribus donatae (§. 195.); liquet, eas entium singulorum naturam constituere. Sic magnetis natura est adfinitas, quam cum ferro habet; corporis cuiuscumque natura est versus centrum gravitare, ignis urere, spiritus cogitare, corpusque movere etc.

*** Summa ergo virium, vel quasi virium omnibus creatis substantiis competentium, universam rerum naturam componit.

197. Quoniam autem omnia mundana entia sunt contingentia (§. 165.) & ab ente necessario creata (§. *eod.*), nempe ex nihilo producta (§. 115.), eique ideo suam debent exsistentiam, omnesque vires, & adfectiones, quibus ornata reperiuntur: non abs re infertur 1. naturam rerum aeque, ac Naturam universam, rationem sui sufficientem in ente necessario habere; quod quum sit ens liberrimum, nullique necessitati obnoxium (§. 139. ***): liquet 2. ens necessarium naturam rerum libere constituisse, ut adeo 3. ens increatum, & creans merito Naturae Auctor

salutetur. Male ergo 4. veteres, & aliquot recentiores, Naturae nomine Creatorem intelligunt *.

* Veteres naturam dividebant in *naturantem*, scilicet Deum, et *naturatam*, nempe mundum. Recentiores autem, quum de virium, et affectionum entibus concessione loquantur, eam Naturae plerumque tribuunt: et ex iis quidam per naturam intelligunt vires quasdam corporibus insitas, nec ab ulla prima et necessaria caussa pendentes, in eoque Materialismo favent: quidam contra Deum ipsum naturam vocant; in quo vel Naturae vocabulo abutuntur, vel Creatorem, et creatum perperam confundunt.

198. Quia vero ens necessarium est omnipotens (§. 139.), cuius est solo, & simplici suae voluntatis actu entia creare (§. 115.), quique proinde nec ulla praeexsistente materia, nec ullius, praeter se, entis ministerio opus habet: consequens est 5. Naturae Auctorem eam mundanis entibus, non modo speciatim singulis, sed & generatim omnibus dedisse, non ut administram in conficiendo mundi systemate adhibuisse; ac proinde 6. admodum errasse Platonem, Aristotelem, veterumque plurimos, qui PRINCIPIVM quoddam HYLARCHICVM, vel ENTELECHIAM Deo adsistentem, suppetiasque in creatione ferentem finxerunt, eamque Naturae nomine indicarunt *.

* Horum sententia fuit, Naturam fuisse substantiam quampiam ab omnibus aliis rebus distinctam, ac per totum Orbem diffusam, quae Deo

res creanti adstiterit: quapropter eam *Mundi animam* dixit Plato, ut patet etiam ex Virgilio Platonicae philosophiae addicto *Aen. VI. v.* 724.

Principio Coelum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequora pontus.

Idem confirmat Plutarchus *de placit. philos. Lib. II. cap.* 3. *Omnes reliqui*, ait, *mundum animatum esse, et a providentia gubernari statuunt*. Ut adeo mundus Platoni fuerit animal quoddam, cuius corpus esset universum materiale, anima vero Natura. Sed quantopere hos magnos viros opinio fefellerit, vel ex eo patet, quod si Natura haec mundo praeexstitit, ea vel a Deo antea creata fuit, vel aeternum exstiterat. Si primum: vel Deus tot entibus creandis solus fuisset impar, ita ut administro eguerit, quod contradictionem involvet: nam qui administro huic creando potens erat, reliquis entibus inferioribus producendis impotens esse nequibat; vel ipse solus toti creationi sufficiens eam frustra produxisset, id quod divinae sapientiae est iniurium. Si secundum: Natura illa Deo coaeterna fuisset infinita, adeoque duo entia infinita exstitissent, quod est impossibile (§. 133.).

199. Idem dicendum 7. de NATURA illa GENITRICE, quam tanto conatu promovent Cudwortus, Henricus Morus, & Clericus, qui proinde a nonnullis in hac singulari opinione refutati, in speciosum phantasticorum numerum relati sunt *.

* Naturam genitricem, velut Dei instrumentum, eiusque providentiae ministrum, posuit

 Cud-

Cudvvortus *System. intellect. cap. 3. dissert. de natura genitrice*, quem ideo refellit Moshemius in *notis ad loc. cit.* Cum Clerico tamen acriter contendit Petrus Bayle *Dictionn. Hist. crit. Tom. I. la vie de Bayle pag.* 86. *n.* 1705., cuius rationes adversus singularem einsmodi opinionem adductae huc redeunt. Natura haec genitrix, vel est purum instrumentum in manu Dei, vel ipsamet effectus in mundo producit. In primo casu otiosa est, nulliusque in Philosophia usus; in altero vero res redit ad atheismum: tunc enim ens non intelligens totum ordinatum, et tam affabre structum producere potuisset, quod est absurdum (§. 36.**).

200. Multoque magis & a recto rationis tramite distat Stratonis Lampsaceni opinatio *, cui natura videtur esse interior quaedam vis, & vita corporum elementis inclusa, & in agendo, aeque, ac cogitando se exserens: unde prima corporum componentia NATVRAS PLASTICAS appellavit eodem fere modo, quo eius aemulator Leibnitius MONADAS dixit, cuius sententiam supra expendimus (§. 160. *).

* Philosophus hic Theophrasti discipulus, teste Tullio *Acad. quaest. Lib. IV. cap.* 38., doctrinam hanc novam prorsus, et inauditam invenit. *Nulla Deorum opera*, aiebat, *sed natura ipsa cuncta effecta fuisse: naturam vero vim esse quamdam, et interiorem vitam in singulis materiae particulis conclusam, cuius ope semetipsam qualibet arte, et consilio fingere, in easque formas, quibus apta est natura, et idonea, vertere potest, etsi quid faciat, ipsamet ignoret, nec quid facere velit, secum constituat.* Hinc huius doctrinae sectarios HYLOZOITAS appellat Cudvvortus *System. intell. cap.* 3. §. 15. Sed quum materia iners prorsus sit, et inactiva (§. 161), quonam modo vires,

res, et cogitationes corporum particulis attribui possint, non videmus. De viribus quidem iam vidimus (§. 119. 161.): de cogitatione vero in Psychologia erit disquirendi locus. At posito, quod vires illae materiei insint: quum nec quid agat, nec quid agere debeat, advertere possit, ut ipsemet fatetur, ad fortuitam atomorum combinationem res redibit, quam impossibilem esse iam observavimus (§. 155. 166.).

201. Nec minus 9. absurda est Epicuraeorum adsertio *, quorum insania eo usque pervenit, ut mundi ordinem materiae cuidam brutae tribui debere aientes, in ea universam rerum naturam esse constituendam, adserere non erubuerint.

* Quidnam naturae nomine Epicuraeismi conditores intellexerint, ex Plutarcho discimus *de plac. philos. Lib. II. cap. 3. Leucippus vero*, ait ille, *Democritus, et Epicurus, et qui praeter hos inane, ac atomos introducunt, et animae expertem mundum faciunt, neque providentia, sed natura quadam bruta administrari aiunt*. In hanc porro sententiam ivit Lucretius, et cum eo Auctor *du Systeme de la Nature Part. I. chap. 1.*, quorum deliria refutavimus (§. 166. *ad* 168.), ut ita ab ulteriori dilucidatione iure abstineamus. Et quidem, quum nemo dare possit quod non habet (§. 36. **); materia bruta contra neque formaliter, neque eminenter intelligentia praedita sit, quonam modo mundum, in quo entia intelligentia continentur, ab illa produci posse probabunt? Praeterea, omnia mundana entia sunt connexa (§. 150.), ubi vero est connexio, adest ordo (§. 154.), et ubi ordo reperitur, adest finis et electio, quae intelligentiam, et sapientiam exigit (§. 50. 41.): ex hoc ergo capite rursus patet ridiculae huius opinationis absurditas.

202. Quandoquidem autem ens necessarium omnium contingentium, nempe mundi, totiusque mundanae naturae est caussa efficiens (§. 165. 197.), adeoque non modo extra contingentium seriem exsistit, sed ei contradictorie est oppositum (§. 142): sequitur 10. Creatorem nec idem cum mundo, nec mundi animam dici posse; ac proinde 11. contradictoria loqui Spinozam *, qui primum; & Stoicos **, qui alterum effatum inscite pronuntiarunt, idque Naturae vocabulo intellexerunt.

* De hoc inepto Atheismi Coriphaeo abunde satis dictum est (§. 173.), ut adeo nec hilum quidem dictis addere oporteat.

** Vid. Lactant. *Divin. instit. Lib. II. cap.* 2. Ea de caussa Deum variis nominibus, *Iovis, Fati, mentis, naturae*, Stoici appellabant. Laert. *Lib. VII. segm.* 137., idque vel maxime colligitur ex definitione *της φυσεως* a Zenone tradita apud eumdem *Lib. VII. segm.* 148. Idem etiam sensisse Varronem, scribit S. Augustinus *de Civ. Dei Lib. VII. cap.* 6.; et Origenem Stoicis adhaesisse colligitur ex ipsius *περι αρχων Lib. II. cap.* 1. Sed quantopere isti fallantur, ratio in promtu est. Si namque mundus ut animal quoddam considerari, eiusque anima Deus dici velit, duorum utrumque inde sequetur absurdum; nempe et Deum a mundo, veluti suo corpore, ad perceptiones quascumque determinari, quod Atheismum, vel saltem Fatalismum sapit, et mundum animamque humanam, vel Deum ipsum, vel Divinae substantiae partem, aut modificationem esse, id quod apertum arguit Pantheismum.

SECTIO II.

De ordine, & Cursu Naturae.

203. CUique hanc rerum universitatem vel obiter consideranti patet, mundum, sive vastam hanc contingentium catenam, ex eo potissimum ab omni alia re distingui, quod omnia in eo occurrentia, sive per caussas efficientes, sive per finales, apte inter se connexa & colligata videantur: unde ex hac potissimum connexione universum systema consurgit (§. 150.). Connexio isthaec, & dependentia absque rerum delectu, ac dispositione haberi nequit: nec modo ad peculiares, ac subordinatos; sed ad ultimum Creatoris finem, nempe gloriae ipsius manifestationem (§. 185.) tota series est ordinata. * Quum ergo delectus, & dispositio rerum alicui fini destinata *ordo* vocetur (§. 71.): ex hoc capite clarius intelligitur, in mundo ordinem adesse.** (§. 154.).

* Quam apte entia tam varia, quae in mundo coexsistunt, vel se invicem sequuntur, ordinata sint, nemo non intelligit. Videmus enim in tanta rerum varietate delectum, ut hoc potissimum momento convictum se dicat D. Voltaire ad admittendam supremae intelligentiae exsistentiam: observamus etiam dispositionem, qua suis quaeque locis adcommodata sunt; tendentiam quoque conformem omnium illorum entium non modo ad peculiarem singulorum, sed et ad generalem universorum finem. Uno verbo in tota rerum universorum

versitate admirabilis quidam observatur ordo: ut adeo iure dixerit Nevvtonus. *Naturam nihil agere frustra. Princ. philos. Math. Lib. III.*

** Recte Cicero: *Est enim*, ait, *admirabilis quaedam continuatio, seriesque rerum, ut aliae ex aliis nexae, et omnes inter se aptae, colligataeque videantur. De nat. Deor. I. 4.*

204. ORDO NATVRAE est *certa quaedam, & constans Naturae dispositio* (§. 71.), *ad dirigendas eius actiones, motus, mutationes, eiusque perseverantiam, & conservationem, destinata.* Et quoniam ordo pro varietate finium varius esse potest; hic autem ordo est huius praecise Naturae dispositio, cuius exsistentia a libera entis increati & creantis voluntate pendet (§. 139.***): merito concludimus, hunc ordinem esse a Creatore libere positum; ut adeo mutari, vel suspendi, si quando eidem libeat, salva ipsius sapientia, possit*.

* Idque merito. Nam vires, et adfectiones mundanis entibus ratione systematis competentes tales sunt, ut ab iis auferri, salva eorum essentia, possint (§. 195.): ab essentia namque pendent tantum facultates, non tamen earum exercitia; in iis autem natura consistit (§. 196.), et ex huius dispositione ordo resultat. Potest ergo hic ordo, si quando infinita id sapientia exigat, a Creatore suspendi, vel quocumque modo, salva ipsius bonitate, mutari.

205. Prout autem actiones a viribus illis, & mutationes ab adfectionibus provenientes corpora tantum, vel entia immateria-

ria-

rialia quoque respiciunt: ordo Naturae est vel PHYSICVS, vel METAPHYSICVS*. Ille in adfectionum ratione systematis competentium, viriumque motricum communicatarum; hic in virium activarum dispositionem situs est.

* Prout ergo corpora se mutuo adficiunt, ac mutationem producunt, in harum mutationum dispositione, adfectionumque conservatione physicus ordo elucet: prout autem entia simplicia in corpora agunt, haecque vicissim illa adficiunt, in virium illarum, et adfectionum delectu, ac dispositione consistit ordo metaphysicus. Sunt, qui ordinem addunt *pneumaticum*, qui solas spirituum actiones, earumque nexum respicit. Richter. *quaest. phil. de mach. & spir.* §. 17. Sed quum philosophia alios spiritus, praeter Deum, et animam humanam, non agnoscat; nec, quomodo spiritus in se mutuo agant, recta ratio concipere possit: nihil de tertio hoc ordine solliciti erimus. Non equidem diffitemur, substantiarum spiritualium completarum, non modo possibilitatem, sed et exsistentiam rectae rationi consonam esse; easque activas esse debere, ex iam demonstratis (§. 122., 125.) manifestum est: quaenam autem actiones ab illis in se mutuo edantur, quive effectus in spiritibus puris per actionem aliorum spirituum producantur, id vero est, quod ratio ignorat. Nec est, quod respondeas, spiritus puros se mutuo adficere: actio namque per id non determinatur, quum adfectio sit vox actionem exprimens tantum in genere et indefinitam, non autem in specie et determinatam, quae haberi deberet, ut ordinem actiones illas continentem, concipere ac determinare possemus.

206. Si vero ad hominem ordo referatur, erit vel NATVRALIS, vel SVPERNATVRALIS, vel MORALIS, vel de-

nique POLITICVS : quorum primus in nexu mediorum naturalium ad finem naturalem consequendum directorum *, de quibus hoc loco, & in Physica diffuse agitur ; alter in mediis supernaturalibus ad finem sublimiorem, nempe supernaturalem directis, qui omnem hominis superant captum ** ; tertius in divinarum, atque naturalium legum nexu, quibus hominum mores, actionesque liberae diriguntur *** ; postremus in legum humanarum tantum ad dirigendas hominum actiones externas, eorumque inter se iura tuenda, institutarum connexione consistit ****.

* Talis est digestio ciborum in ventriculo, sanguinis circulus in corpore, solidorum elasticitas, humorum segregatio etc.

** Huiusmodi est gratia Creatoris in statu innocentiae, sive iustitiae originalis, generis humani reparatio, gratia Redemtoris, sive medicinalis, Sacramenta etc. Sed haec Theologis tractanda relinquimus.

*** Huius classis sunt leges omnes a supremo Naturae Auctore generi humano promulgatae, de quibus in Iure Naturae ; media quoque voluntatem hominis ad legum observantiam dirigentia, de quibus in Ethica disputabimus.

**** In hunc censum veniunt leges humanae publicae, et privatae, quae Civiles appellantur, quarum illas Ius Gentium ; has politica evolvit, et ad externam hominum felicitatem dirigit.

207. NATVRAE LEGES dicuntur *normae quaedam universales ab Vniversi Condi-*

ditore ad Naturae ordinem conservandum constitutae. Hae vero pro ordinis diversitate variae sunt. Quumque Naturae ordo, vel physicus sit, vel metaphysicus: leges naturae pariter sunt, vel PHYSICAE, vel METAPHYSICAE *. Quae quum ad ordinem naturalem referantur, isque sit a libera Creatoris voluntate constitutus (§. 204.), ut proinde ab eo mutari possit: recte colligitur, Leges Naturae pro Creatoris lubitu, si quando infinita eius sapientia id exegerit, mutari, vel supendi; id vero ab eodem Naturae Auctore tantum fieri posse. Illa demum immutabilis eventuum consequutio secundum Naturae leges eveniens, CVRSVS NATVRAE appellatur **.

* Sic leges adfinitatis, nempe attractionis, repulsionis, gravitatis, Dynamicae, Hydrostaticae, Hydraulicae, physicae dicuntur; leges autem commercii inter animam et corpus, metaphysicae sunt, de quibus in Psychologia erit disserendi locus.

** Vides ergo, Naturae cursum cum eiusdem ordine, ac legibus tam apte connexum esse, ut ab iis secerni non possit. Quare falluntur, qui ablato Naturae ordine, cursum eius subsistere posse censent. Ex harum vero legum connexione certae inter homines scientiae, et artes sunt enatae. Ex ordinis enim constantia, legumque cum eo relatione, humana consilia, praevidentia, sanitatis conservandae vel recuperandae ratio invecta est, quae nulla foret, nisi leges illae certo exstarent, quae dici non potest, quam bene Creatoris sapientiam, ac perfectiones ostendant.

208. Leges physicae, alio nomine *leges motus*, aliae sunt GENERALES, quae omnes

omnes omnium corporum motus respiciunt; aliae SPECIALES, quae quorumdam tantum motus peculiares, & sub datis circumstantiis exsistentes comprehendunt. Sed quum Metaphysica generales tantum caussas, & effectus evolvat (§. 2. *); de primis illis hic quaedam dicturi sumus, reliquas tamen esse tractandas Physicis adservamus. Huiusmodi vero legum ratio sufficiens est in ea materiae proprietate, quam pure passivam esse diximus (§. 119. *), nempe in eiusdem inactivitate, et inertia: unde ab ea, veluti tot corollaria, leges motus continuo nexu proficiscuntur.

209. Quoniam quodlibet corpus est iners (§. 159.), idest ad motum aeque, ac quietem indifferens (§. 109): nullam unquam in statu suo potest inducere mutationem (§. 112.); ea vero a caussa tantum externa produci debet, quae id ad motum, vel quietem determinet (§. *eod.*). Quum ergo quaevis in corpore mutatio per motum facienda sit (§. 111.), qua de re caussa illa corpus impellens motrix dicitur: consequens est 1. ut corpus quiescens, vel motum naturaliter in quiete, vel motu suo uniformiter in directum perseverare debeat, donec inde a caussa externa deturbetur *; 2. ut omnis motus, eiusve mutatio viribus caussae motricis semper sit proportionalis, fiatque secundum directionem, qua vis illa agit **; 3. ut ad vincendam corporis inertiam tantumdem actionis a caussa mo-

motrice impendi debeat, quanta est eiusdem resistentia: ita ut solo excessu illius super hanc corpus moveatur in eadem directione caussae moventis ***. Atque hae sunt tres generales LEGES MOTVS a Cl. Nevvtono, ut totius naturalis scientiae fundamentum, constitutae ****.

* Et quidem corpus quiescens statum suum propria vi mutare non potest (§. 109. 159.); nisi ergo a caussa externa urgeatur, semper in eodem statu manebit. At si quando fuerit ab illa impulsum, et in motu constitutum, ob eamdem rationem motum illum semper habebit uniformem, et rectilineum, donec a caussa aliqua a motu, vel directione turbetur: nam impotentia illa efficit, ut nullam mutationem, sive in celeritate, sive in directione sua corpus producere possit, adeoque si caussa externa desit, in eodem perpetuo motu perseverabit. *Naturaliter* diximus: etenim in facto aliter evenire videmus; id vero ab attritu superficierum corporis moti, et plani quo movetur, ab aeris, aliorumve corporum forte occurrentium resistentia produci, quisque intelligit.

** Idque ob eamdem rationem. Inertia namque corporis nullum in eo motum vel mutationem suapte vi produci patitur. Tantum ergo motum corpus concipiet, quantum in eo caussa motrix genuit, nec ullam motus, vel directionis mutationem, nisi caussae illius viribus proportionalem, habere poterit.

*** Tertiam hanc motus legem aliter exprimit Newtonus, nempe: *Actioni aequalis, & contraria est reactio.* Ea vero, praeterquam quod tironibus negotium facessit, unde multa opus habet explicatione, locum tamen in nostro systemate habere nequit. Newtonus enim, ut et omnes Physici, materiae inertiam, non ut qualitatem passivam,

vam, qualis revera est, sed mathematice tantum, et abstracto concipiendi modo eam ut vim quamdam concipiunt, qua fit ut corpus impulsum contra caussam motricem vim faciat, eamque in contrariam directionem urgere nitatur, unde *reactionis* nomen usurpatum est: sed in enunciationis, effectuumque explicatione eamdem nobiscum viam Physici ingrediuntur: ut adeo, si prae oculis habeantur, quae ante diximus) §. 161. *), tertia haec motus lex facilius clariusque intelligetur. Corpus enim impactum eo sensu motui resistere dicitur, quia ob eius inertiam caussa motrix tantam virium intensitatem adhibere debet, quanta movendis singulis corporis illius particulis sufficiat, eaque corpus tantum de loco movebit. Vt ergo amplius moveatur, aliae adhuc vires a caussa impellente adhibendae sunt, quibus quum proportionalis esse, et in eam directionem debeat fieri motus (*per not.* 1. & 2.), hinc est, ut corpus moveatur excessu actionis super resistentiam, et in eadem directione caussae moventis.

210. EFFECTVS NATVRALIS est, *qui in naturae ordine*, (§. 204.), *& cursu* (§. 207.) *rationem habet sufficientem* *: ut adeo secundum naturalem cursum fieri dicatur; SUPERNATVRALIS autem, qui *rationem illam in ordine, cursuque naturae non habet*, ideoque supra naturam fieri dicitur **. Ille servatis legibus naturalibus; hic earum suspensione, vel interruptione evenit: ac proinde ille a caussis quibusvis naturalibus; hic ab eo tantum, qui naturae leges mutare, vel suspendere valet; nempe a Creatore (§. 207.), produci potest ***.

* Effectus itaque vi substantiae creatae productus, dum ea secundum Naturae leges agit, na-
tu-

turalis audit: ut lapsus corporis non suffulti, combustio ligni igne iniecti, mersio corporis specifice gravioris in aqua etc. Quod si effectus naturalis quidem sit, sed eius caussa non adpareat, PHAENOMENON appellatur: ut fluxus maris, astrorum motus, planetarum phases etc. Si tandem effectus cuiusdam naturalis caussa adeo latens sit, ut nobis admodum sit impervia, MIRABILIS, et a quibusdam *praeternaturalis* vocatur. Et licet status hominis morbosus a Medicis *praeternaturalis* appellari soleat: rectius tamen *non naturalis*, vel *violentus* dici posset, ut apud recentiores Medicos observari poterit.

** Sic mortui in vitam revocatio, instantanea morbi curatio, aquae in vinum conversio, effectus sunt supernaturales, quia supra naturam fiunt. Supra naturam autem quid fieri dicitur, quum aut naturae vires excedit, ut nulla naturali ratione fulciatur, veluti plantam sine semine nasci, aquam in vinum converti; aut contra naturae cursum fit (§. 207.), nempe si ratio adsit, cur contrarium eveniat: ut corpus combustibile in maximo igne non uri, planetarum motum per aliquod temporis spatium sisti.

*** Patet hinc, effectus supernaturales esse effectus extra ordinem, eosque produci per legum naturalium interruptionem, sive suspensionem. Quumque huiusmodi leges a supremo Naturae Auctore libere sint constitutae (§. 207.): quin ab eodem interrumpi, suspendique possint, dubitari nequit.

SE-

SECTIO III.

De miraculis.

211. MIRACVLVM est *effectus supernaturalis* (§. 210.) *ad faciendum veritati vel virtuti testimonium destinatus* *. Quumque effectus ille, vel natura sua talis, vel in modo & circumstantiis tantum esse possit: miraculum est, vel PRIMAE, vel SECVNDAE CLASSIS **.

* Miraculum igitur ab effectu mirabili toto coelo differt, quia illud est effectus supernaturalis, adeoque naturae vires, legesque exsuperans (§. 210. **), hic vero effectus naturalis, cuius caussam omnino ignoramus (§. *eod.* *). Falluntur ergo, qui miraculum definiunt *per effectum mirabilem*, qua incompleta, immo falsa idea incredulis occasionem dederunt de miraculis tanta temeritate loquendi. In hanc classem primo referendus est THOMAS HOBBES, qui miraculum vocat *immediatam Dei actionem, cuius naturales caussas numquam comprehendere possumus. Leviath. cap.* 37., in qua definitione contradictoria loquitur senex Malmesburiensis: nam si est immediata Dei actio, ergo nullae caussae naturales esse possunt; quia illa effectum supernaturalem, hae naturales tantum effectus producunt. Idem dicendum erit de sententia LOCKII, qui id ab opinione spectatoris metiri vult: ait enim, miraculum esse *operationem quamdam in sensus incurrentem, quae quum spectatoris captum exsuperet, ipsiusque opinione cursui naturae constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur. Tract. de miracul.* Cuius opinationis venenum ab integro tractatu dignoscitur, ex quo patet, clarissimum hunc Virum Spinozae quodammo-

modo adhaesisse. Praeterquam quod, si ex spectatorum captu miracula dignosci deberent, omnes effectus rudioribus hominibus impervii, omniaque phaenomena pro miraculis habenda forent, nec umquam miracula ab aliis effectibus discerni possent. Nollemus quidem huic classi adscribere acerrimum Religionis defensorem Abb. Houtteville: sed veremur, ne dum Christianismum ab impiorum latratibus vindicare studet, maioribus exsecrationibus evomendis opportunam iis praebeat occasionem.

** *Primae classis* miraculum est eventus, qui naturalem caussam habet oppositam, a qua effectus contrarius produci deberet, ac proinde a nullius caussae creatae, sed solius Creatoris vi, et actione leges physicas suspendente procedere potest: ut mortuos in vitam revocare, aquarum cursum, vel aequilibrium impedire etc. *Secundae classis* est eventus ille, qui absolute, et natura sua produci a causa physica potest, sed modus, et circumstantiae Naturae vires excedunt ita, ut nulla proportio adsit inter caussam, et effectum: veluti, si quis solo tactu caeci oculos cataractis laborantis illico sanet. Quamvis enim medicinae ope morbus ille curari possit longo temporis tractu, multisque medicaminibus haustis, et applicatis: quia tamen in instanti, solaque manus adhaesione fit, effectus ille in modo, ac circumstantiis erit miraculosus.

212. Miraculum porro in actione, aut scientia versari potest; scilicet vel effectus supernaturales producuntur; vel res futurae omnem humanam solertiam, scientiamque superantes praesciuntur. Effectus primi generis proprie dicitur MIRACVLVM, quique illud edit, THAVMATVRGVS; alterius vero PROPHETIA, et homo huiusmodi futura praedicens, PROPHETA audit *.

* Et

* Et quidem eventus futuros liberos inter purae possibilitatis tenebras latentes, nullaque naturali ratione praevidendos certissime noscere, ac praedicere, verum est miraculum: nusquam enim, nisi sola entis aeterni revelatione supernaturali, et miraculosa, homini innotescere possunt, quum omnem humanam eludant cognitionem, in quo immediatam Dei actionem observamus. Donum ergo prophetiae miraculum est, et homo hoc dono praeditus Propheta iure appellatur. Quod si res eo, quo praedictae sunt, modo eveniant, prophetia *completa* dicetur.

213. Ex qua definitione liquet 1. miracula a nulla caussa, quae leges physicas suspendere nequit, patrari posse; adeoque 2. caussas quascumque creatas iis producendis esse omnino insufficientes *: attamen 3. solius caussae increatae, nempe Entis necessarii proprium esse miracula facere; ac proinde 4. ipsum solum proprie dici Thaumaturgum **. Quapropter 5. effectus illi, qui absolute, et in modo a caussis naturalibus quibuscumque produci possunt, licet mirabiles sint, miracula dici nequeunt. Permulta ergo 6. opus est cautione in miraculis diiudicandis, ne naturales effectus pro supernaturalibus venditantes, Sanctam Religionem libertinorum risui exponamus.

* Quum enim miraculum sit effectus supernaturalis (§. 211.); hic vero in legum naturalium suspensione consistat (§. *eod.* ***), quae a nulla caussa creata mutari possunt (§. *eod.*): patet, nullam caussam creatam propria virtute miracula patrare posse. *Propria* diximus: nam si virtus illa cum ente creato sit a Creatore communi-

nicata, ut ad eius nutum Naturae leges suspendantur, quin ea facere possit, nemo dubitabit: atque inde est, cur aliquibus virtute claris, et in Coelitum numerum relatis Thaumaturgi nomen datum sit. At si stricte loqui velimus, eo casu caussa creata erit tantummodo instrumentalis: ea namque, tamquam instrumento, Deus utitur ad naturae cursum, legesque interrumpendas, miraculumque perpetrandum: non quod Deus instrumento aliquo egeat, ut effectum quemcumque producat; sed caussa illa instrumentali utitur, ut eius virtutes ubique patescant, vel ut veritas ab ea prolata supernaturalibus effectibus confirmetur. Equidem non sumus nescii, a spiritibus bonis, vel malis nobis revelatione notis, quos Angelos lucis, vel tenebrarum SS. Scripturarum ductu appellamus, nimis multa fieri posse, quae captum nostrum excedentes insolita, et admiranda videntur: hi tamen effectus naturales sunt, licet eorum caussas ignoremus; ac proinde miracula dici nequeunt. Hinc patet, cur magi Pharaonis virgas suas in serpentes converterint (*Exod. VII.* 22.); sed eas nullo modo in pristinam formam redigere potuerint: id quod argumento est, eos virgarum substantiam non immutasse, sed vel furtim, vel malorum spirituum opera, serpentes pro virgis substitutos fuisse. Vnde quum nec incredibilem ranarum multitudinem statim occultare (*ib. VIII.* 7.), nec sciniphes producere potuissent (*ibid. v.* 18.), Dei digitum illic esse dixerunt (*ib. v.* 19.) Vid. Moshem. *in Cudvvort. syst. intell. cap.* 5. *segm.* 1. §. 86. *pag.* 871.

** Ens enim necessarium solum est, quod leges a se statutas suspendere potest; adeoque solus Deus iure dicitur Thaumaturgus, ac proinde etiam Christus, qui Deus et homo est, ut in Theologia Naturali demonstrabimus, quaecumque miracula virtute propria, idest divina, patravit.

214. Ex eadem definitione liquet 7. mi-

racula tantum ad testificandam veritatem, aut virtutem ab ente necessario fieri *. Vnde 8. quicumque effectus ad confirmandam falsitatem, vel vitium, sequuti traduntur, ii vel naturalia phaenomena dici debent, vel agentium imposturam, spectatorumque illusam credulitatem arguunt **. 9. Miracula ergo audienda sunt, tamquam vox Dei, quia quum eius infinitae veritati, ac bonitati repugnet, miracula in falsitatis, aut vitii testimonium edere, fieri non potest, ut doctrina, in cuius gratiam illa fiunt, vera non sit. Quamvis virtus miraculorum quandoque possit etiam impiis a Deo concedi, utpote donum *gratis datum*, ut Theologi aiunt, ad proximi utilitatem.

* Plagae ergo, quibus Aegyptus percussa (*Exod. VII. seq.*), Terrae circa axem motus aliquamdiu interruptus (*Iosue X.* 12. *seqq.*), cetera miracula in utroque foedere a Deo patrata, Sacrisque litteris expressa, veritati testimonium reddiderunt: ea vero, quae in Sanctorum suorum gratiam Creator fecit, hodieque operatur, ad virtutem eorum testificandam sunt comparata. Cuius rei testimonium infallibile reddit Servator noster, qui, ut suae ostenderet missionis veritatem, miracula se perpetrare ait, *Matth. XI.* 20. *Ioann. I.* 36. 43. *III.* 2. *VII.* 31. *X.* 37. Immo Christus idem Ioannis discipulis interrogantibus, an ipse esset Messias, quum plurima coram illis miracula fecisset, respondit: *Euntes renuntiate Ioanni quae audistis, et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt etc. Luc. VII.* 22. Falsitatis ergo, et imposturae merito arguendus D. Rousseau, qui *Christum*,

stum, ait, *dixisse*, *nulla se miracula in missionis suae signum fecisse* (1).

** Huiusmodi sunt prodigia a veteribus Paganis venditata, et ab eorum Historicis relata, pleraque vero ab impostoribus tanto adparatu efficta, quae tamen inter effectus naturales, licet mirabiles, vel inter imposturas, falsasque narrationes sunt referenda: eoque magis, quod si ad Criticae regulas exigantur, ea vel pure naturalia esse phaenomena, vel omni prorsus historica probabilitate destituta, illico adparebit. Hinc nullo criterio praeditus perhibetur Auctor libri *Pensées philosophiques* §. 47. *seqq.*, maximeque illusus Abbas DE PRADES *Apolog. de la Thèse pag.* 264., quorum ille Auguris Attii Nevii cotem novacula discissam, et Muhamedis imposturas; hic duo ficta prodigia Vespasiano ab infami adulatorum, domesticorum, illusorumque turba tributa, a Svetonio et Spartiano relata, ad sanctae Religionis divinitatem impugnandam, ubique iactant. Nevii quidem factum omni probabilitate destituitur (§.153.*n.* 8. *Log.*), quippe quod unius Livii testimonio nititur *Lib.* 1. *cap.* 15., scriptoris nempe non coaevi, multisque saeculis recentioris, ad quem incerto admodum rumore facti fama pervenerat, quare vocabulo *ferunt* bis fidem suam servat, reique tam fabulosae incredibilitatem aperit, ut in historiae suae prooemio praedixerat. Nec insolitae illis temporibus erant huiusmodi fictiones ad illudendam rudis illius populi credulitatem e composito comparatae: nam antea Iulius Proculus Romulum e coelo secum loquutum, Liv. *Lib.* 1. *cap.* 6.; Numa se a Nympha Egeria leges accepisse, *ibid. cap.* 8., alii

---

(1) *Il reste toûjours prouvé par le témoignage de Jesus même, que, s'il a fait des miracles durant sa vie, il n'en a point fait en signe de sa mission.* Rousseau *Lettr. écrit. de la Montagn. Lett. Ir. III. pag.* 86.

alii sub Tullo, in monte Albano lapidibus pluisse, commenti fuerant. *Ibid. cap.* 12. Vespasiani porro facta suis temporibus enarrata, quae domesticos tantum, et adulatorios testes habent, horum figmenta fuisse quisque norit, si ad infelices illorum temporum vicissitudines animum attendat. Tunc enim infamis adulatorum grex, ut Imperatorum gratiam aucuparetur, plurima effingebat, ut quaeque conciliando eorum favori apta credebant. Sic, ut Caligulae assentaretur, se Drusillam vidisse in coelum euntem, iureiurando testatus est L. Geminius Senator, ut est apud Dionem, quod propterea ridet Seneca *Apocolocynth. de morte Claudii*. De Muhamedis tandem imposturis, quae lippis, et tonsoribus notae sunt, nihil addere putamus, nec sanae mentis homines tempus in iis terere audebunt.

215. Ex quibus omnibus plane colligitur 10. caussam miraculi efficientem esse ens necessarium, nempe Deum (§. 213.), 11. finem vero, veritatis aut virtutis manifestationem, & testimonium * (211.), 12. modum tandem esse supernaturalem, omnique creata vi superiorem; quibus si effectuum multitudo addatur, nescio an quidquam ad completam veri bonique testificationem, deesse possit. Atque haec sunt signa, sive CRITERIA, quibus vera miracula a falsis dignosci queunt.

* Id ipsum confirmatur *Deuter. XIII. 1. seqq.*, in quo Deus ait: *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & praedixerit signum, atque portentum. Et evenerit quod loquutus est, & dixerit tibi: eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audias verba prophetae illius, aut somniatoris.*

216.

216. Quum ergo miracula sint effectus supernaturales (§. 211.), & in legum physicarum suspensione consistant (§. *eod.* ***); hae vero, utpote non absolute necessariae (§. 207.), a supremo naturae Auctore mutari, interrumpi, aut suspendi possint (§. *eod.*); miraculorum autem editor sit idem naturae Auctor (§. 213.): consequens est 13. miracula esse possibilia *; adeoque 14. turpissime errare SPINOZAM, qui ea tamquam ἀδύνατα, habenda esse putat **.

* Loquimur hic de miraculorum possibilitate, prout nempe cum recta ratione non pugnant. Eorum enim exsistentia, ac certitudo evidenter ex Sacrarum Scripturarum, et Ecclesiasticae historiae ad omnes Criticae leges exactae, lectione ac contextu perspicitur.

** Miracula impossibilia esse adfirmat Spinoza *Tract. theol. polit. cap.* 5. ea fisus ratione, quod naturae ordo interrumpi nequeat, nisi mutatio in Deo nascatur. Ad demonstrandam hanc propositionem, Stratonis, Anaxagorae, paganorumque omnia fatali quadam catena absolutae necessitati subiicientium errores, ac deliramenta renovat. *Naturae leges*, ait, *sunt Dei decreta necessaria: Dei vero decreta mutari non possunt, quum ipse sit immutabilis: leges ergo Naturae mutari non possunt, adeoque miracula, quae in huiusmodi mutatione consistunt, sunt impossibilia.* Sophisma hoc iam olim refutavit S. Augustinus *Lib. XXVI. contra Faust. cap.* 3.; S. Thomas *Lib. III. contra Gent. cap.* 98. item *Part. I. quaest.* 105. *art.* 6. *& de potent. qu.* 6. *art.* 1. *ad* 6.; et Augustinus Calmet *Diss. de veris fictisque prodigiis*. Nempe totus Spinozae achilles est Pantheismus (§. 121. ** 173.): quum enim mundum cum Deo confu-

disset, omniaque fato, id est, absoluta necessitate, quam legem naturae vocat, evenire pronuntiasset, quamcumque naturalis cursus interruptionem, tamquam impossibilem, reiecit. Eius vero argumentum purum putumque sophisma est; in quo quatuor irrepsere termini per aequivocationem expressionis *legum naturae*: unde falsum est, nullaque prorsus ratione sustinendum. *Lex* enim *Naturae* duplici sensu accipi potest, idest ut *caussa*, vel ut *effectus*. In primo sensu, *lex Naturae* est eadem Dei aeterna voluntas leges ferens, cunctaque in ordinem redigens: et haec quidem immutabilis est. In altero sensu, *leges Naturae* sunt normae quaedam ab ipsa aeterna Dei voluntate latae, ordinem illum, cursumque naturae ab ipso Deo liberrime statutum conservantes, quae proinde, ut a liberrima Dei voluntate pendentes, mutationibus obnoxiae sunt, et ad ipsius nutum attemperatae: non quod Deus voluntatem suam mutare queat, quod est impossibile; sed quod aeternum statuit leges illas aliquando pervertendas, vel suspendendas per quosdam speciales eventus: eaque legum, cursusque mutatio per miracula, aeterna et immutabili lege decreta fuit. *Deus ergo non facit contra rationes naturales mutabili voluntate: nam Deus ab aeterno praevidit, & voluit facere quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate quod praeter cursum istum quandoque facturus erat.* Divus Thomas de *Potent. quaest. 6. art. 1. ad 6.* Perbelle Spinozistarum sophisma super miraculis exagitat, risuque exponit Petrus Bayle *Diction. Hist. Crit. art. Spinoza Rem. R.*, ubi ait: *horum disputationem super miraculis esse lusum verborum*: nam continet eiusmodi aequivocationem, quae, si in claros terminos resolvi velit, in impudentem principii petitionem abibit (1).

217.

---

(1) *Or pour faire voir la mauvaise foi, & les illusions des Spinozistes sur cette matière, il suffit de di-*

217. Nec minus 15. improbanda est opinio D. ROVSSEAV, qui nullis rationum demonstrationumque momentis, nulli probabilitatis fultura, nullo criterio, sed aliquot tantum frigidis interrogatiunculis nihil solidi habentibus, miraculorum doctrinam evertere conatur *, ea tantum de caussa, quod humana malitia nonnunquam doctrina illa abusa sit, credulosque homines in fraudem adduxerit.

* Mirum quantum Litterator hic miraculorum doctrinam ubique exagitaverit, praecipue vero in Aemilii sui Tomo III., ac in epistolis montanis; ubi *doctrinam*, ait, *miraculorum multis fraudibus, ac deceptionibus ansam praebere*. Praeclara quidem, et tanto Philosopho digna ratio! Nimirum, quia versuti homines simplicium animos in rerum pretiis decipiunt, numquid ideo tollendum erit commercium? *Quidnam*, pergit ille, *scimus, quousque creatarum substantiarum vires se extendant*.

---

dire que quand ils rejèttent la possibilité des miracles, ils alleguent cette raison, c' est que Dieu & la Nature sont le même être: de sorte que si Dieu faisoit quelque chose contre les Loix de la Nature, il feroit quelque chose contre lui-même; ce qui est impossible. Parlez nettement & sans équivoque; dites que les Loix de la Nature n' aiant pas été faites par un Législateur libre, & qui connût ce qu' il faisoit, mais étant action d' une cause aveugle & nécessarie, rien ne peut arriver qui soit contraire à ces Loix. Vous alleguerez alors contre les miracles votre propre Thése: ce sera la pétition du principe; mais au moins vous parlerez rondement. Bayle *Diction. art. Spinoza. Rem. R.*

dant. Omnes certe Naturae leges, totumque rerum ordinem nemo perspicit, quod tamen necesse foret, ut de miraculi veritate pronuntiare possimus. Huic autem sophismati abunde satis respondet Ioannes Clericus. *Rerum quidem naturalium*, inquit Philosophus iste, *inadaequatam nobis esse ideam, aut an sit adaequata, scire non posse, ultro fatemur. Attamen tanta non est ignorantia nostra, ut numquam quidquam praeter naturae ordinem esse adfirmare possimus. Multa gentium, & saeculorum omnium experientia constant, qualia sunt, quae modo diximus. Proprietates quidem omnes humanae naturae, & substantias, quibus homo constat, non esse notas, passim ostendimus, nec eo secius ab homine X. millia pondo baiulari, & ignis vehementiam sine detrimento ferri non posse, notum est. Si quis tantum pondus ferat, aut illaesus in mediis ignibus diu maneat, id praeter naturae esse ordinem omnibus liquet. Si diceretur cometa ad solis nostri vorticem appulsus praeter naturae ordinem esse, posset hoc in dubium revocari, quia satis nobis non est notus cometarum motus, ut quid sit praeter ordinem, quo moventur, certo definire queamus. Sed ubi de rebus sermo est, quas omnes homines semper eodem modo se habere experti sunt, quid sit praeter naturae ordinem, pronuntiare certo possumus, ut ex allatis exemplis intelligere est. Pneumatol. Sect. III. cap. n. 6.*

Scholion. Illud tandem inter eruditos acriter disputatum est: utrum caussae intelligentes creatae hominibus superiores, quarum exsistentiam ex revelatione novimus, quibusque Angelorum bonorum, malorumque nomina obtigere, prodigia patrare valeant. Adfirmant Leibnitius, & Clarkius, nec pauci pedibus in eorum sententiam iverunt: permulti vero in alia omnia discesserunt. Clarkius quidem ex miraculi notione deducit, Angelos miracula patrare pos-

posse: ait enim miraculum esse *effectum consueto naturae ordini contrarium a natura quadam intelligente, quae viribus hominem superat, extra ordinem productum. Trait. de l'existenc. & des attrib. de Dieu Tom. I. chap.* 19. Sed si miraculum est effectus consueto naturae ordini contrarius, nemo, praeter Deum, qui ordinem illum mutare, vel suspendere potest, hujusmodi effectus producere valet; adeoque & Angelus ei patrando impar est. Leibnitius ait, miracula, quae vocat *respectiva, & inferioris ordinis*, a spiritibus, quibus *Geniorum* nomen tribuit, posse patrari. *Theodic. Part. III.* §. 149. *Récueil de divers. piéc. Tom I. écrit.* 4. & 5. §§. 44. 117. Horum tamen sententiam refutavit Cudvvortus *System. intell. cap.* 5. *Schol. I.* §. 84. *seqq.*, de quo consulatur Moshemius *loc. cit. not.* 1. *ad* §. 86., eiusque opinionis absurditas ex iis, quae supra dicta sunt (§. 213.), manifesto cognoscitur. Si vero per huiusmodi miracula respectiva Leibnitius intelligat effectus mirabiles: quin ea fieri possint, nemo dubitabit. Sed hic *miraculi* vocem adhibere, est terminis velle abuti, usumque loquendi arbitrum parvipendere. Contrariam partem tuentur Moshemius *in not. ad loc. cit.*, Vere ... *Dissert. de miraculis*, & Italiae nostrae eruditus Scipio Maffeius Veronensis in libro, cui titulus: *La Magia annichilata*, cuius auctoritas tanta fuit, ut de cacodaemo-

monum operationibus non modo recentes Itali dubitarent, sed & eas risui exponerent, utpote quae vulgi commenta sint, & terriculamenta feminarum. Sed substantias hasce intelligentes effectus mirabiles producere posse, iam supra demonstratum est (§. 213. *). Sciunt enim naturae vires, earumque intensitatem, omnesque naturalium caussarum virtutes perspectas habent: quumque sint vi activa maxime praeditae, quin eam exercere possint, in dubium vocari nequit. Potissimum horum argumentum respicit fraudes impostorum, quibus simplices, rudesque homines decipere conati sunt. Sed non melius iis, quam Moshemii verbis, responderi poterit: *Si vel sexcenta*, inquit, *docuero oracula hominum calliditate, atque dolis esse edita, haud tamen argumento esse poterit, reliqua oracula eiusdem esse generis, nisi antea luculentis planum faciam rationibus, fieri nullo modo posse, ut daemones vel per ministros suos, vel alio modo de rebus futuris homines erudiant*. Cum divina providentia, & bonitate pugnare, aiunt, ut Deus daemonem homini quidpiam praestare permittens, totum paene genus humanum diabolicis fraudibus decipi sinat: eo namque casu impletio desiderii impiorum esset ratio sufficiens eius permissionis. At quum ratio sufficiens omnium Dei operum sit eadem liberrima eius voluntas, nulla extra eam eiusmodi permissionis ratio quaerenda est.

Et

Et quidem, si Deus per tot saecula gentes integras in idololatria persistere, & ab hariolis, aruspicibus, omnisque generis impostoribus in fraudem induci permisit: cur non & eidem providentiae conveniet, Deum pati, ut homines daemonum praestigiis deludantur, ut ideo boni eodem tempore, quo tamquam aurum in igne exercentur, suam imbecillitatem, Divinique auxilii necessitatem agnoscant, & implorent, mali vero temeritatis suae poenas luant? Ex quo alterum labitur argumentum, quo daemonophobiam, quae ex hac doctrina profluit, Religioni obesse, atque ex hominum animis fiduciam in Deum avellere; iactant. Quae vero de magicae, ut aiunt, artis exsistentia inter eruditos disputari solent, utpote ad institutum nostrum impertinentia, ea hic disquirere invisum foret, & ab incoepto alienum. Omnem ergo hanc quaestionem, utpote ad facta, & propositiones singulares pertinentem, Historicis, Criticis, ipsisque Theologis omnino relinquimus.

218. Sed sufficere haec arbitramur de Cosmologia: similia namque quisque ratione recte uti volens, propria meditatione, suoque marte observabit. Id tantum philosophiae Tironibus monitum volumus, omnia quaecumque de mundo hic dicta sunt, non universam amplecti Cosmologiam, nec omnes liberrinorum errores refutare: sed esse veluti principia, & normas quasdam

ge-

generales, quarum ope plurima inveniri, & ad amplificandam pulcherrimam hanc Metaphysicae partem sedulo studio, ac meditatione deduci queunt.

